Ad Confirmationem patet per idem; probat enim ſolùm poteſtatem conſecrandi perfectè conferri independenter à poteſtate abſolvendi, quia non ſolùm prius abſolutè confertur ordinato, ſed hic etiam ea utitur conſecrando cum Epiſcopo, priuſquam alteram accipiat, adeò quòd poteſtas abſolvendi eſſentialiter pendet à poteſtate conſecrandi, non autem è contrà.

56 Ad ultimum, qualiter, & quando conferatur effectus gratię, & characteris, ac poteſtatis in hac ordinatione declarat Doct. *4. d. 19. q. 1. ar. 3. ſub lit. G.* ubi duos aſſignat dicendi modos; primò dicit, quod ſicut ſunt duæ poteſtates, ita duo characteres, & uterq; imprimitur in ſigno proprio ſenſibili ſignificante illud indiviſibile, utpotè in primus in datione calicis cum illis verbis, accipe poteſtatem celebrandi &c. Secundus in impoſitione manuum cum illis verbis, accipe Spiritum ſanctum &c. & juxtà hunc modum dicendum eſt, quod utraq; poteſtas eſt quidam character, ſed illi duo integrant totũ ordinem Sacerdotii. Addit deinde, quod ſi non placet tot characteres ponere correſpondentes uni ordini ſacerdotali, poteſt dici, quod per unum characterem ſacerdotalem habet quis poteſtatem conficiendi corpus Chriſti, & per hunc diſponitur de congruo ad habendam poteſtatem ſuper corpus Chriſti miſticum ligandi, & ſolvendi, & ſic character ſacerdotalis eſt diſpoſitio ad iſtas claves; Ita Doct. *loc. cit.* juxtà quam doctrinam dicendũ eſt ſtatim in ipſa traditione panis, & vini cum ſuis verbis conferri poteſtatem conſecrandi, & ſacrificandi, atq; adeò characterem ſacerdotalem ad hoc perficiendum, & ſimiliter dicendum eſt tunc infundi gratiam, quæ in ſingulis ſacramentis confertur, nam tunc omnia requiſita ad hos effectus interveniunt, & illa verba ſunt per ſe efficacia, ac ſtatim operativa; Deindè addendũ eſt, in impoſitione manuum cum ſuis verbis conferri poteſtatem abſolvendi à peccatis, & miniſtrandi ſacramentum extremæ Unctionis; quod eſt aliud remedium ad remittenda peccata, ſivè hoc fiat per diſtinctam quandam partem characteris ſacerdotalis juxtà primum dicendi modum, ſivè per extenſionem prioris characteris jam impreſſi juxtà alium dicendi modum, ut valeat ad operandum hunc alium effectum remiſſionis peccatorum; quodcunque enim dicatur parum refert, quocunq; enim modo res ſe habeat, ſemper fatendum eſt, quod ſi quis Sacerdos ordinatus fuiſſet tantùm per traditionem panis, & vini abſq; impoſitione manuum cum ſuis verbis, poſſet quidem validè conſecrare, non tamen abſolvere, nec etiam ex quacunque Eccleſiæ commiſſione, quia ei deeſſet poteſtas ordinis, quæ non poteſt aliundè ſuppleri, & poteſtas illa juriſdictionis, quæ etiam requiritur ad validè abſolvendum, Ordinis poteſtatem omninò ſupponit, quod totum etiam adnotavit Averſa *q. 2. ſect. 8.* ex Scoti doctrina *loc. cit.* De effectu demum gratiæ ſanctificantis in hac ordinationis parte, nempè manuum impoſitione, dici poteſt, ſicut de duplici ſpecie ſacramenti dictum eſt *diſput. præc. qu. 17. art. 2. n. 407.*

57 Denique circà materiam, & formam Epiſcopatus Doctores communiter conveniunt, hanc ordinationem eſſentialiter, & adæquate conſiſtere in manuum impoſitione, tanquam materia, cum verbis, quæ in illa dicuntur, tanquam forma ſcilicet, *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ etſi ſint verba generalia, hic, & nunc denotant Apoſtolicam dignitatem, qua creatus Epiſcopus in Eccleſia præfulget; ita Bellarminus, Vaſquez, Layman, Averſa, Caſpenſis, Bernal, & alii paſſim; & ita quidem ſumitur ex Scriptura, ubi Apoſtolus ordinationem Timothæi nominabat per manuum impoſitionem, & eodem modo antiqui Patres locuti ſunt nominantes conſecrationem Epiſcopalem per manuum impoſitionem; Ex quo deducitur unctionem capitis, & manuum, & verba illa: *Ungatur, & conſecretur caput tuum cæleſti benedictione &c.* ad eſſentiam hujus ordinationis non pertinere, quia id etiam videmus in multis cęremoniis Baptiſmi, Presbyteratus, &c. quæ ſolummodò ſunt ſacramentalia, non ſacramenta, neque partes ſacramenti eſſentiales; Ubi etiam nota Epiſcopum ab Epiſcopo ordinari debere, non ab inferiore ſimplici Sacerdote, imò à tribus Epiſcopis ejus conſecratio fieri debet, ſaltem jure Eccleſiaſtico.

Officia verò Epiſcopo propria, quædam conſiſtunt in miniſterio eorum ſacramentorum, quæ peculiariter ad Epiſcopum ſpectant, & jure divino illi competunt, & ex inſtitutione ipſa Chriſti, nimirum conferre ſacramentum Confirmationis; conferre ſacramentum Ordinis; item benedicere, & conſecrare ipſum Chriſma, quòd eſt materia confirmationis, ac tandem benedicere, & conſecrare oleum infirmorum pro ſacramento extremæ Unctionis. Quædam verò conſiſtunt in quibuſdam aliis benedictionibus, & conſecrationibus, quæ peculiariter ad Epiſcopum ſpectant jure Canonico, & Eccleſiaſtico, quia ſunt ritus ab Eccleſia inſtituti, tanquam cæremoniæ quædam, & ſolemnitates Eccleſiaſticæ, ut benedicere, & conſecrare templa, & altaria, & vaſa ad ſacrificium Euchariſtiæ deſervientia, ſcilicet, Calicem, & patenam, campanas quoque pulſantes ad divina Officia, Virgines, & Moniales tanquam Chriſti ſponſas, qui omnes ſacri ritus in Pontificali latè deſcribuntur.

ARTICULUS TERTIUS.

De effectus cujuſcunque Ordinis.

58 NOn agitur de effectu gratiæ, quem confert ſacramentum Ordinis in ratione ſacramenti, ut ſic, ſed de effectibus particularibus aliis cujuslibet Sacramenti ordinis in particulari; pro quo ſupponendum eſt Sacramentum ordini conferre characterem, ut definitum eſt in Conc. Trid. *ſect. 23. cap. 4. & can. 4.* de ordine quod etiam conſtat ex dictis diſp. de ſacramentis in genere & ex communi ſenſu eccleſiæ docentis ſacramentum ordinis iterari non poſſe magis, quàm baptiſmi, & hoc quidem ex impreſſione characteris indelebilis provenire, ut eſt communis doctrina; Hoc autem ſuppoſito nonnullę difficultates in hoc puncto occurrentes ſunt breviter diſcutiendæ.

Prima difficultas eſt, an omnis ordinatio imprimat characterem. Negant Vaſquez, & alii, qui exiſtimant aliquos ordines non eſſe ſacramenta; Affirmant, qui cum D. Thoma, & Scoto tenent oppoſitum, juxtà quam ſententiam cõſequenter affirmandum eſt, quodlibet ex dictis ordinibus characterem imprimere; Et hæc eſt communior, & probabilior ſententia, quæ ſatis patenter deducitur ex Conc. Trid. cit. ubi cùm abſolutè dicat ſacramentum ordinis characterem imprimere, & loquatur de ſacramento ordinis, ut ſic, conſequenter ſignificat, quod id competat cuicunque ſacramento ordinis ſub eo contento; poſita itaque veritate ſententię, quam ſuprà ſecuti ſumus, ſcilicet, ſingulas ordinationes eſſe verum ſacramentum, & propriè dictum, neceſſariò etiam dicendum eſt per ſingulas characterem conferri.

Confirmatur, quia ex communi Eccleſiæ ſenſu quodlibet ſacramentum ordinis eſt irreiterabile, ergo quodlibet imprimit characterem, hic enim communiter ſupponitur eſſe cauſa irreiterabilitatis: nam Florentinum in literis Eugenii expreſsè definit ſacramenta novæ legis gratiam conferre ex opere operato, & ea quæ non poſſunt repeti, characterem imprimere.

Reſpondent aliqui oppoſitum ſentientes, quod imprimitur per aliqua ordinis ſacramenta, non eſſe novum characterem diſtinctũ à charactere ordinis prioris, ſed potiùs quandam illius extenſionem; Sed planè hoc totum eſt gratis, & voluntariè dictum, quia ut ait Poncius *diſp. 48. ſect. 3.* non eſt facilius explicare, & intelligere, quomodo talis extenſio fieret, quàm quomodo novus character imprimatur, immò eſt longè difficilius, nam talis extenſio abſque impreſſione alicujus qualitatis in anima concipi nequit, at illa qualitas, qua fieret extenſio, omnes utique conditiones habet ad rationẽ characteris requiſitas, ergo eſſet character, atque adeò intelligi nequit fieri novam extenſionem abſque novo charactere, idẽ tenet tanquam de mente Doctoris Brancatus noſter *tom. 3. diſp. 10. a. 3.*

59 Secunda Difficultas eſt de connexione ordinum inter ſe, an, ſcilicet, ex eorum inſtitutione ſint ita connexi, ut character ordinis poſterioris neceſſariò pręſupponat in ordinato impreſſionem characteris prioris, & ratio dubitandi eſt, quia ordines inſtituti ſunt, tanquam gradus; ergo ex ipſa inſtitutione fit, ut non poſſit aſcendi ad ſuperiores, niſi per inferiores. Sed ſatis conſtat ex ſuperiùs dictis, & ex Scot. *diſt. 14. cit. a. 4.* connexionem hãc, & gradationem ordinum nequaquam requiri ad validitatem ſequentium, nec ſimpliciter eſſe de jure divino, & ex inſtituto Chriſti, ſed fuiſſe ab eccleſia tantùm injunctam; undè nec character ſacerdotalis præſupponit neceſſario neceſſitate ordinis characteres aliorum ordinũ præcedentium, nec ullus ex inferiorum ordinũ characteribus præſupponit neceſſariò ullũ ex reliquis; Hoc patet ex ipſo jure in c. un. de Clerico per ſaltum promoto, ubi qui omiſſo Diaconatũ fuerat conſecratus Sacerdos, non jubetur in Sacerdotem reordinari, ſed permittitur in ordine Sacerdotis miniſtrare, poſtquã Diaconatum acceperit, quod utique factũ nõ eſſet, ſi impreſſio characteris ſacerdotalis characterẽ Diaconatus neceſſariò præſupponet neceſſitate ordinis, ſed nec ullus alius ex inferioribus characteribus debet neceſſariò ullum alium ex illis præexigere, quã character Sacerdotii characterem Diaconatus; ergo nullus alium neceſſariò præexigit.

Hinc ſimiliter aliqui Canoniſtę volunt ordinem, & gradum Epiſcopalem, non ex intrinſeca ratione ſui, & inſtitutione Chriſti ſupponere debere ordinem, & characterem ſacerdotalem, ſed tantùm ex eodem præcepto Eccleſiæ, itaut ſi quis nõ ſacerdos ordinetur in Epiſcopum, valeat hęc ordinatio, nec ſit iteranda. Communis tamen, & vera Theologorum ſententia eſt, ut patet, ex dictis *q. 2. a. 2. n. 35.* Epiſcopalem ordinationem de ipſo jure divino, & Chriſti inſtituto ita ſupponere ſacerdotium, ut abſque ipſo nõ valeat, & qui abſq; ſacerdotio in Epiſcopum ordinatus fuiſſet, deberet denuò poſt ſacerdotalem ordinationẽ ſuſcipere Epiſcopalem; Itaq; Epiſcopatus, quamvis non includat formaliter Diaconatum, includit tamen formaliter, & intrinſecè ſacerdotiũ, vel ſaltem illud neceſſariò pręſupponit juxtà dicta ſuperiùs *l. c.* ideòq; vocatur abſolutè ſacerdotiũ; Ratio autẽ congrua iſtius eſſentialis incluſionis, vel depẽdentię eſſe poteſt, quia nemo dare poteſt id, quod priùs in ſe nõ habet, vel formaliter, vel ſaltem eminenter; cùm ergò munus primatium Epiſcopi ſit ordinare ſacerdotes, hoc eſt, ut ait

S. Epiphanius, generare Patres Eccleſiæ, non poteſt quis Epiſcopus conſtitui ſine iſta poteſtate; ſicut virtus generandi non requiritur, niſi conjuncta cum ipſa natura alteri communicanda, hæc igitur virtus in eo, qui non eſt ſacerdos, eſſe non poteſt, & ideò Epiſcopus neceſſariò debet eſſe Sacerdos.

60 Tertia Difficultas eſt, an ordinatio Epiſcopi imprimat characterem à ſacerdotali diſtinctum. Auctores *qu. 1.* citati aſſerentes Epiſcopatum eſſe quidem verum ordinem, & ſacramentum, non tamen à ſacerdotio diſtinctum, ſed facere, & complere unum ordinem cum illo, conſequenter hic dicunt non imprimi per ipſum novum, ac diſtinctum characterem, ſed ſolùm extendi eundem priorem ſacerdotalem ad hoc, ut valeat perficere novos actus Epiſcopales. Sed juxta dicta ſuperiùs *q. 1. ar. 1. n. 8.* dicendum eſt, in Epiſcopatu addi, atque imprimi novum characterem realiter ab aliis diverſum etiam à ſacerdotali; Et ratio eſt, quia Tridentinum *l. c. can. 9.* abſolutè docet per ſacramentum ordinis imprimi characterem; ergo quoties validè datur ſacramentum ordinis, datur etiam character novus; cùm igitur Epiſcopatus ſit ordo ſimpliciter à ſacerdotio diſtinctus, & per eum nova poteſtas conferatur ordinato ad novos actus ſacramentales, diſtincta à poteſtate collata per ordinem, & characterem Presbyteratus, conſequenter quoque dicendum eſt imprimere novum, atque diſtinctum characterem; Et planè præſtat dicere, per Epiſcopatum imprimi novum, & diſtinctum characterem, quàm extendi priorem ſacerdotalem; tùm quia explicari commodè nequit, quomodo fiat talis extenſio ut dictum eſt; tùm quia cũ conſtet, aliquid de novo infundi, cenſendum eſt, infũdi aliquam qualitatem ſupernaturalem, ſicut erat prior impreſſa per characterẽ ſacerdotii, & non fieri tantùm quendam modum qualitatis prioris; quòd ſi de novo ſit talis qualitas, dici potiùs debet novus character, quàm prioris extenſio; & ſi in aliis inferioribus ordinibus imprimitur intrinſecè qualitas, quæ dicitur character in anima, & nõ eſt ſola extenſio characteris ordinis prioris, ut ſupradictum eſt, hoc tãtò magis de Epiſcopatu affirmandum erit, qui eſt ordo longè nobilior illis, & longè excellẽtiorem affert poteſtatem ordinato. Tùm tandem, quia ſicut ſuprà dictum eſt *nu. 56.* in ordinatione Sacerdotis duos conferri characteres veluti partiales, quia duplex per eam confertur partialis poteſtas, una ſcilicet, conficiendi Euhariſtiam, & altera remittẽdi peccata; ita à fortiori debemus dicere de Epiſcopatu, quòd per ipſum novus imprimatur character, quia per ipſum nova, & diſtincta poteſtas cõfertur ordinato, & non eſt unus ordo cum ſacerdotio, ſed ſimpliciter ab ipſo diverſus, licèt neceſſariò ipſum præſupponat.

61 Quarta Difficultas eſt, an character epiſcopalis ſit dignior Sacerdotali, cui difficultati ſolent reſpondere Scotiſtæ ex Scoto *diſt. 24. cit. art. 2.* ut dictum eſt *qu. 1. ar. 2. nu. 15.* quòd ſi loquamur de charactere totali, integro, & perfecto, quem habet Epiſcopus, ut Sacerdos, & Epiſcopus, eſſe ſine dubio digniorem, quia includit alterum, & aliquid amplius, ſi verò conſideratur character particularis, qui ſuperadditur characteri ſacerdotali in Ordine ad fũctiones illas, quæ ſoli Epiſcopo competunt, eſt omninò inferior, quia majoris dignitatis eſt conficere corpus, & ſanguinẽ Chriſti, & abſolvere à peccatis, quàm conferre Ordines, & Confirmationẽ, aut conſecrare Chriſma, ut patet, quem dicendi modum ſequitur Bellarminus de Ordine *c. 5. ad 3.* cum aliis Recẽtioribus, & Brancatus *diſp. 7. a. 4.* Alii verò dicunt, defendi etiam poſſe, ac debere, ordinẽ epiſcopalem nõ ſolùm eſſe excellentiorem, & nobiliorẽ ſacerdotali, ſi ſumatur, quatenus illum includit, & aliquid addit, ſed etiã ſi pręcisè ſumatur, aut ſi per Dei potentiam abſolutã realiter ſine illo daretur, eſſe, inquã, ſuo modo intenſivè, hoc eſt, entitativè nobiliorẽ, ſicut dicimus de aliis ordinibus invicem comparatis; Ratio eſt, quia verè quidẽ poteſtas conſecrandi Euchariſtiã eſt in hoc genere ſuprema, ſed certè poteſtas epiſcopalis non eſt ab hoc aliena quinimò per ſe valet cõſtituere ipſos Sacerdotes, qui habẽt cõſecrare Euch. & per ſe confert hanc poteſtatem illis, undè per modum cauſę univerſalis, & ſuperioris, modo quodam eminenti, reſpicit hunc ipſum effectum, qui eſt conſecrare Euch. ex hac ergo parte character, & Ordo epiſcopalis etiãm per ſe ac pręcisè ſumptus eſt ſuo modo ſacerdotali ſublimior, ita Averſa *qu. 1. ſec. 10.* quę priùs fuit doctrina Baſſolii noſtri *4. diſt. 24.* ut ſuperiùs dixi *q. 1. a. 2. n. 15.* ubi ait propè finem quęſtionis, nullum eſſe inconveniẽs, aſſerere, quòd ſicut epiſcopatus eſt ſuperior, ita etiam ſit nobilior quia ſacerdotiũ ex epiſcopatu dependet, cùm nullus in Sacerdotem, niſi ab Epiſcopo ordinetur, & ita actus ſacerdotii virtualiter cõtinetur in actu epiſcopatus; & Sacerdotiũ in Epiſcop. Uterque dicẽdi modus eſt ſatis probabilis, & eligi poteſt, qui magis placet.

62 Quinta tandem Difficultas eſt, an ad valorem ſingularũ ordinationum, ut nunc ſuum producant effectum, & characterẽ imprimat, ex parte ordinãdi requiratur tactus phyſicus rei, cujus traditione ordinatur; & quęſtio eſt tantùmmodò de neceſſitate ordinis, quia de obligatione pręcepti habetur expreſsè in Pontificali eſſe Præceptum, ut tangatur calix, & patena ſuperpoſita. Negant quamplures, requiri ad valorem unius ſacramenti contactum iſtũ phyſicum materiæ, & quoad hoc ajunt ſufficere hęc inſtrumenta porrigi, qui ordinatur, pręſenti, & conſtituto coram ordinante, adeòut hunc contactum phyſicum non requirant neceſſitate ſacramenti, ſed ſola neceſſitate præcepti, quia ad verificationem formæ non eſt neceſſarius tactus phyſicus materiæ; ut enim quis verè, & propriè dicat, *Accipe hoc, vel illud*, non eſt neceſſe, ut ille, cui offertur, vel porrigitur, accipiat illud, ſed ſufficit, ut illi offeratur, vel porrigatur, ita Cajetanus, Victoria, Layman, Henriquez, Vaſquez, Hurtado, Bernal, Armilla, Tabiena, & alii Summiſtæ, qui dicendi modus eſt ſatis probabilis.

63 Alii verò requirunt contactum phyſicum ſaltem mediatum ejus materiæ, cuius fit traditio, dùm conceditur poteſtas ordinis, ratio eſt, quia dictus tactus requiritur ad verificationem formæ, in qua dicitur, v.g. *Accipe librum*, quod enim non appręhenditur, aut tangitur, non accipitur, ita Valentia, Nugnus, Coninch. Averſa, Caſpenſis, Bonac. Marchinus, & Faber ex noſtris *diſp. 1. cit. q. 1. c. 4.* in ſine; & alii quamplures, quæ planè ſententia magis placet, ut tutior, & ſecurior, dummodò non in tanto rigore intelligatur; ſicut enim ex ea parte, qua aliquis ordo confertur per manuum impoſitionem, utique neceſſe eſt, ut ordinatus verè, & phyſicè tangatur ab ordinante; ſic pariter dùm ordines conferuntur per inſtrumentorum porrectionem, neceſſe erit, verum, & phyſicum contactum intercedere ſaltem mediatum; & certè plana, & plena verbi illius *Accipe* ſignificatio id videtur exigere, ut nempè is, qui ordinatur verè tangat, & hoc pacto accipiat ſacra inſtrumenta.

At inſtat Vaſquez *diſp. 246. c. 2.* optimè verificari totum hoc ſignificatum, *Accipe librum*, & ſic de aliis inſtrumentis, per ſolam traditionem, & porrectionem factam ab ordinatione, etiamſi non intercedat contactus ex parte ordinati; alioquin nec etiam ſufficeret utcunq; tangere, ſed requireretur manibus comprehendere, & contingere id, quod porrigitur, ut quis dicatur accipere; At de facto qui ordinantur in Sacerdotes, vix extremis digitis tangunt calicem, & patenam, & non propriè in manibus ſuis accipiunt, cùm ob præviam ſacram unctionem manibus ligatis accedant. Sed quãvis ſignificatum illius verbi *Accipe* poſſet tali modo explicari, ut ſola traditio, abſq; accipientis contactu verificetur, adhuc tamen negari non poteſt, quin ex illo modo dicendi, *Accipe librum, accipe poteſtatem* ex inſtituto Eccleſię talis ſignificatio deducatur, qua denotetur realis quędam acceptio, ſivè contactus ex parte eius, cui ſacra inſtrumẽta porriguntur; undè nõ ob ſolum rigorem verbi talis contactus requiritur, ſed ex ipſo ritu ſacramenti, ſicut ſanè quãvis adhuc ſignificatum verborũ illorum in baptiſmo, *Ego te Abluo* verificaretur, infundendo vinum, vel alium liquorem; tamen per ſe ex ipſo ritu ſacramenti habemus requiri pro materia veram aquam naturalem, ut benè diſcurrit Averſa *q. 2. ſect. 2.*

64 Non ob id tamen neceſſarium eſt ad valorem ordinationis, ut ordinatus immediatè tangat ſacra inſtrumenta ſuis manibus, propterea diximus, ſufficere contactum phyſicum ſaltem mediatum, undè etiamſi contingeret mediante aliquo velo, id ad valorem ſufficeret; imò de facto, tùm materia ordinationis ſacerdotalis ſit panis, & vinum, non tamen immediatè tangitur ipſum vinum, ſed ſolùm calix continens vinum, ſicut neque opus eſt ad valorem ſacramenti, tangi immediatè panem, ſed ſatis eſt tangere patenam, in qua continetur, ut docent Silveſter, Angelus, Sanchez, Averſa, & alii Auctores noſtræ ſententiæ; Undè minimè placet, quod ait Faber *l. c.* neceſſarium eſſe neceſſitate ſacramenti, ut hoſtia immediatè tangatur ab ordinando; Hoc enim nullo modo eſt neceſſarium, quia in Rituali, ubi exactiſſimè deſcribuntur, quæ in hoc contactu ſunt neceſſaria, illud nullo modo, vel leviter inſinuatur, nec etiam Epiſcopus ordinans, aliive Miniſtri ſunt ſolliciti, ut fiat, Et planè cùm eodem prorſus modo ſint materia illius traditionis calix cum vino, & patena cum hoſtia; ſicut nullo modo eſt neceſſarium, ut ordinandus ipſum vinum immediatè tangat, ita nec neceſſarium erit, ut immediatè tangat hoſtiam. Et per hoc aliqui conciliare prętendunt cum Latina ritum Eccleſiæ Græcæ, in qua non porrigitur, nec traditur ordinando immediatè calix, ut fit in Latina, ſed ſolùm mediatè per ſolam exhibitionem, vel oſtenſionem calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia ſuper altare, nam hæc varietas contactus, ſivè immediati, ſivè mediati eſt tantùm accidentalis, ita Petrus Labat *tom. 7. tr. 3. diſp 5. dub. 3. §. 3.*

QUÆSTIO QUARTA.

An in Miſſa Deo offeratur verum, & proprium ſacrificium, & in quo eius eſſentia conſiſtat.

65 QUoniam ſuprà diximus, primarium, & principale munus Sacerdotis eſſe, conſecrare panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti, & hoc ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacrificium Deo in Miſſa offerre, quod quidem in lege Evangelica unicum eſt, & ſingulare; nunc diſcutiendum eſt, an in Miſſa verum, & proprium ſacrificium Deo offeratur à Sacerdote, & in quo talis ſacrificii eſſentia conſiſtat. Ut verò pateat, in quo vera, & propria ratio ſacrificii conſiſtat, notandum eſt, quòd quamvis ad rationẽ ſacrificii requiratur, ut per illud ſignificetur interna animi noſtri ſubmiſſio, & ſuprema Dei excellẽtia, hoc tamen non ſufficit,

quia in eo ſacrificium convenit cum aliis actibus religionis, adoratione namq; internam animi noſtri ſubmiſſionem profitemur, & ſupernam Dei excellentiam,& majeſtatem, ſimiliter cóſtructione templorū exhibetur latriæ cultus ſoli Deo debitus in ſignū reverentiæ,& divinæ excellentię, & etiam cum immutatione rei ſenſibilis & tamen hæc veram,& propriam ſacrificii rationem non participant; quidquid Hęretici crocitent, qui omnes opus bonum in Dei cultum oblatum verum eſſe ſacrificium,autumant, nec illud in Eccleſia Dei viſibile concedendum eſſe contendunt, ut Miſſæ ſacrificiū omninò evertant; Aliquid ergò aliud neceſſariò addendum eſt, & explicandum,in quo conſiſtat differentia eſſentialis, & ultimò conſtitutiva ſacrificii, nam ſacrificium propriè dictum nō modò in nullo actu purè interno, ſed neque in quolibet externo ſalvari poteſt,quia ſacrificium eſt peculiaris actus Religionis, quo ſpeciali quodam modo proteſtantur excellentiam Dei abſolutam, & noſtram ſubjectionem per oblationem rei externæ.

66 Vaſquez *diſp. 220. c. 3.* quem ſequuntur Hurtado, Amicus, Bernal, Meratius, Caſpenſis, & alii Recentiores communiter docet, rationem ſacrificii conſiſtere in immutatione rei Dei oblatæ, qua Deum ipſum Auctorem vitæ, & mortis præſertim noſtræ profitentur,qua ratione definit ſacrificium, quòd ſit *nota, ſeū ſignum exiſtens in re Deo oblata,quo Deum ipſum Auctorem vitæ, & mortis profitemur*, & per hoc diſtinguit ſacrificiū ab omnibus aliis actibus virtutis Religionis, & pręcipuè à laudè, adoratione, & ſimplici oblatione,cum quibus majorem habet ſimilitudinem; nam laus poſita eſt in verbis, & circà omnia attributa Dei verſatur; ſivè diviſim,ſivè coniunctim; adoratione verò divinæ naturæ eminentiū ſuprà omnem naturam creatam, aut creabilem proteſtamur; ſimplici oblatione ſupremum ejus, & abſolutum Dominium, quod in res omnes creatas continet,& exercet;Deniq; ſacrificio profitemur ejus omnipotentiam, qua eſt Auctor vitæ, & mortis,& poteſt cuncta deſtruere pro ſuo arbitratu; ſicut nos rem, quam ei ſacrificamus,in ejus honorem deſtruimus; ita rem hanc verbatim declarat cum Vaſquez cit. Caſpenſis *tract. 23. diſp. 1. ſect. 1.* Ex quo deducit, ad hoc,ut aliqua res ſit ſacrificium, non ſufficere, ut aliquid ſacrū circà rem illam fiat; aliàs conſecratio Calicis, Eccleſiarum &c. eſſet propriè ſacrificium, & dum ejuſmodi res conſecrantur, dici poſſent propriè ſacrificari; ſed neceſſariò requiritur, ut in re, quæ ſacrificatur, mutatio aliqua fiat, quia ſignificetur, Deū eſſe Auctorem vitæ, & mortis, omne enim, ſacrificium requirit victimam, quæ immoletur, & immutetur, & qua profiteamur, Deum eſſe Auctorem vitæ, & mortis; aliàs non poſſet ſatis id conſtare, ad quid ſignificandum victima illa offeratur, & ſacrificetur; neceſſaria eſt, ergò illius deſtructio, per quam profitemur, nos ita à Deo penderet, ut poſſumus ab eo conſervari, vel deſtrui, ſicut res illa à nobis oblata deſtruitur, & immutatur.

67 Sed hunc dicendi modum fusè,& eruditè rejiciunt ex noſtris Hiqueus *4. diſt. 13. q. 1.* in ſuo Commentario, & Gavatius *diſp. 1. de ſacrificio Miſſæ q. 1.* quia hoc, quod eſt eſſe ſignum omnipotentię Dei, ſivè Deum ſignificare, ut vitæ, & mortis Auctorem, ſufficienter non diſtinguit ſacrificium à ſimplici oblatione, adoratione,& omni alio,quod non eſt ſacrificium,ergo nec adæquatè illud conſtituit in eſſe ſacrificii, eadem enim ſunt principia diſtinctiva, & conſtitutiva; antecedens xpetientia conſtat, quia & laus, & adoratio,& ſimplex rei oblatio fieri poſſunt Deo, ut Auctori vitæ, & mortis, etenim ex motivo recuperandæ ſanitatis, vitandæ mortis,aut ob ſanitatem jam recuperatam, poſſumus Deum laudare, adorare, & aurum,argentum,aut veſtes offerre, in quo caſu hujuſmodi actus laudis,adorationis, &oblationis utique Deo fierent ex motivo omnipotentiæ Dei vitæ, & mortis Auctoris.

Confirmatur, quia quamvis Deus non eſſet Auctor vitæ, & mortis, vel ſub tali ratione non conſideretur; adhuc deberetur ei latria ob propriam excellentiam; ergo& ſacrificium, quod denotat ſupremum latriæ cultum in rebus externis, ideòque ſoli Deo adhiberi poteſt;antecedens patet,conſequentia probatur, quia adhuc in tali caſu ſignificatio moralis ſacrificii non deſtruitur,neq; obiectum eius formale,quia excellentia illa Dei abſoluta in ſe, ut Deo competit,ſignificari poſſet, atq; noſtra ſubjectio per oblationem rei externæ,ſivè ſimplicem, ſivè etiam immutando ipſam, quia per talem immutationem ſignificaretur, Deum eſſe fontem omnium bonorum, & non tantùm vitæ, & mortis Auctorem, ſed præſertim gratiæ, & gloriæ Auctorem, & conſumatorem. Denique latria eſt cultus divinitati debitus propter ſeipſam, ſivè ob ius excellentiam in ſe abſolutè conſideratam; ſed ſacrificium eſt actus externus ad ſupremum latriæ cultum pertinens; igitur ſicut cultus latriæ Deo convenit,qua Deus eſt, & ratione divinitatis, ita & ſacrificium Deo debebitur, qua Deus eſt,& non qua præcisè eſt vitæ, & mortis Auctor.

68 Quapropter ſacrificium propriè dictum, de quo hic eſt ſermo, meliùs definitur, quòd ſit oblatio externa alicuius rei permanentis Deo exhibita, qua ſignificatur ſupremum dominium, aut excellentia Dei,& ſubiectio ſacrificantis ad ipsū,mediante aliqua ipſius rei oblatæ deſtructione,aut immutatione; Per hoc enim ſufficienter ſalvatur,quòd ſacrificiū ſit actus religionis;& quidem ſupremę ſpeciei ejus, quæ eſt latria, & ſufficienter diſtinguitur à quocunque alio,quod non eſt ſacrificium; per hoc enim,quòd dicitur oblatio externa rei permanentis, diſtinguitur ab adoratione quæ fit per genuflexionem; per id, quod additur, cum aliqua deſtructione, vel immutatione rei oblatæ, diſtinguitur à ſimplici oblatione; per alias tandem particulas exprimitur ejus ſignificatio in ordine ad terminum,& diſtinguitur ab oblatione facta Deo mediatè, ut à primitiis, decimis, &c. Hoc prænotato de acceptione propria ſacrificii, ut hic de eo loquimur, de quo plura videri poſſunt apud Hiquæum, & Gavatium *loc. cit.* jam ad reſolutionem propoſitę quæſtionis accedimus.

ARTICULUS PRIMUS,

Reſolvitur quæſtio quoad primam partem.

69 DIcendum eſt, in Miſſa Deo offerri à Sacerdote verum, & proprium ſacrificium,Hęc eſt communis Catholicorū contra recentiores Hæreticos,quę in primis expreſsè deducitur ex ipſa Chriſti inſtitutione, cùm dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, ubi verbum *facite*, æquivalet verbo ſacrificare,ſic enim interdum Scriptura loquitur, ut Levitic. 15. *ſumet duos turtures, dabitque Sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocauſtum*, undè denotat rationem ſacrificii, quia juſſit Chriſtus hoc myſterium exerceri,veluti ad perpetuò retinendum, ac repetendū ſuæ mortis ſacrificium, quod in hoc ſacramēto miſticè renovatur, ita communiter hunc locum Patres exponunt,quorum teſtimonia quia ſunt innumera ad hanc veritatem probandam, ſufficiat Andreas Apoſtolus, qui Ægeæ Proconſuli ſuadenti, ut Diis immolaret, reſpondit, *Ego omnipotenti Deo immolo quotidie,non Taurorū carnes,nec Hircorum ſanguinem,ſed immaculatum Agnum in Altari*, quo clariùs dici non poterat in hujus veritatis teſtimonium.

Deindè probatur auctoritate Eccleſiæ, quæ quidem ſemper intellexit, in hoc myſterio Euchariſtiæ verum ſacrificium ex mandato Chriſti celebrari, ut in pluribus Conciliis definitum eſt, nimirùm in 1. Concil. Niceno, *can. 14. in* 1. Toletano *can. 5.* in Antiſiodorenſi *cap. 8.* in Lateranenſi *cap. 1.* in Florentino in Decreto Eugenii,ac demum in Tridentino *ſeſſ. 22. can. 1.* ubi dicitur, *Si quis dixerit in Miſſa non offerri Deo verum, & proprium ſacrificium, anathema ſit.* Et eſt res clara in Canone Miſſę, in quo tàm frequenter nominatur Oblatio, Hoſtia, Sacrificium, qui Canon ſaltem à tempore D. Gregorii Papę antè mille ānos integer extabat,ut modò legitur,& licèt uſque ad tempora Gregorii aliqua verba in eo addita fuerint, adhuc etiam longè anteà, & ab ipſo Eccleſiæ initio majori ex parte extabat,ut in antiquiſſimis Græcorum Liturgiis legitur,& in Canonibus Apoſtolorum, & apud Clementem Papam, & Dionyſium Areopagitam,qui cum ipſis Apoſtolis convixerunt.

70 Rurſus probatur ex ratione ſacrificii ſuperiùs aſſignata, quæ tota in hoc myſterio completur cum omnibus conditionibus requiſitis,ejus enim definitio communiter recepta eſt,quòd ſit exterior oblatio,& immutatio alicujus rei permanentis exhibita in honorem,& cultum Dei ad recognoſcēdam,& proteſtandam ſummā ejus excellentiam, & ſupremum Dominium, facta per legitimum Miniſtrum, & per legitimam auctoritatem inſtituta; hęc,inquam, tota ratio planè in myſterio Euchariſtiæ invenitur, nam panis, & vinum converſa in corpus, & ſanguinem Chriſti offeruntur Deo in ſignum ipſius ſupremi dominii, & noſtrę ſubjectionis; fit hæc oblatio per legitimum Miniſtrum, nempè Sacerdotem ad hoc officium ſpecialiter deputatum,&inſtituta eſt per legitimam auctoritatem,nempè ab ipſo Chriſto,qui eſt Caput, Legislator, & Eccleſię fundator; fit rei oblatę conſumptio, quia Chriſtus ipſe deſinit eſſe,quatenus eſt ſub ſpeciebus panis, & vini viſibilis, & ſenſibilis, & ſpecies ipſę ſacramentales conſumuntur, nam per manducationem, & potationem deſinunt eſſe; verum igitur, & proprium ſacrificium in Miſſa offertur.

Denique probatur ex ratione novę legis, in omni namque lege, & Republica benè inſtituta hæc tria ſemper fuerunt conjuncta, lex,ſacrificium, & ſacerdotium, & in omni lege,& ſtatu fuerunt ſacrificia, quibus homines Deum colerent, & nulla natio, quantumvis barbara agnoſcitur, caruiſſe vero, & proprio ſacrificio ad colendum verum Deum,vel fictos,quos ſibi venerandos aſſumpſit ergo neque in lege nova deeſſe debebat ſacrificium,quo Deus ſpeciali uſu coleretur;ſed certè in hac lege aliud aſſignari non poteſt, quod veram habeat ſacrificii rationem niſi hoc Euchariſtiæ myſterium, ergo &c. Tùm quia in lege nova verum, & proprium ſacerdotium conceditur, primarium autem Sacerdotis officium eſt Deo offerre, & ſacrificare; ergo debet & verum ſacrificium agnoſci, & nullum aliud eſt præter illud, quod in Miſſa offertur, & in quo Chriſtus immolatur.

Dices, hoc ſacrificium non fore verum, & reale, ſed tantùm myſticum, quia in Miſſa intervenit myſtica tantùm victimæ immolatio,

Reſp. ſi per immolationem intelligas hoſtiæ occiſionem, concedo,hic tantùm eſſe myſticam immolationē,ſed talis immolatio

adhuc eſt vera, & realis hoſtiæ ſacrificatio, undè ad verum, ac reale ſacrificium ſufficit myſteria hoſtię occiſio, hoc eſt, ſacramentalis Chriſti deſitio ſub ſpeciebus,ut ex dicendis conſtabit.

71 Sed quoniam tria in hoc myſterio reperiūtur omninò diſtinguenda,primò panis, & vinum quantum ad ſubſtantiam, quæ deſtruitur, deindè Chriſtus ipſe, qui fit ſacramentaliter præſens ſub ſpeciebus; Et tandem ſpecies ſacramentales, quæ permanent cum ſubſtantia Chriſti, & priùs erant cum ſubſtantia panis, & vini. Diſputant Theologi, quę nam res propriè ſit,quę offertur,& ſacrificatur in Euchariſtia, ut verè, & propriè ſacrificium dici poſſit, in qua difficultate ſunt varii modi dicendi, ut apud Recentiores videri poteſt, quorum communior, & probabilior eſt iſte. Primò quidem,quod ſubſtātia panis,& vini ſit quidem aliquo modo materia hujus ſacrificii, non tamen propriè, & principaliter ſit res,quæ immolatur,& ſacrificatur; quidem, quòd ſit aliquo modo materia ſacrificii, patet ex modo loquendi Eccleſię in offertorio Miſſæ, cùm dicit, *ſuſcipe ſancte Pater hanc immaculatam hoſtiam &c. Offerimus tibi Domine calicem ſalutaris*,&c. illud autem,quod tunc in manibus Sacerdos tenet, eſt ſubſtantia panis,& vini; undè licèt illa oblatio nō ſit formaliter immolatio,ſaltem indicat,illud, quòd tunc offertur,eſſe materiam ſacrificii,quatenus conſtat ex pane,& vino, tanquam ex termino à quo,& materia tranſeunte;non tamen eſt res,quæ propriè, & principaliter ex intento offertur, & ſacrificatur, ſeù victima, quę immolatur,quia licèt ſubſtantia panis, & vini in hoc ſacrificio deſtruatur in poteſtationem divinæ potentiæ,ac proindè ſit materia aliquo modo hujus ſacrificii;quia tamen ejus deſtructio non eſt primariò,ac per ſe intenta,ſed ſecundariò ad verificanda verbo conſecrationis, & ad introductionem corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus, quæ in hoc ſacramento ſunt per ſe, & primariò intenta, ideò nequit eſſe propriè materia hujus ſacrificii, ſed ſolùm ſpectat ad illud, ut terminus à quo, & materia tranſiens, quę ad pręſentiam rei principaliter intentię corrumpi debet.

72 Deindè Chriſtus ipſe eſt res,quę propriè, & principaliter in hoc ſacrificio offertur; ita Conc. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 1.* ubi de Chriſto loquēs inquit, *quòd in Euchariſtia novum inſtituit Paſcha ſeipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, & c. 2. In divino hoc officio quod in miſſa per agitur,idem ille Chriſtus continetur,& incruentè immolatur,qui in ara Crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit*, quo etiam loquendi modo paſſim utuntur Patres, dùm dicunt Chriſtum ipſum, corpus, & ſanguinem Chriſti ſacrificari, offerri,immolari in altari; Quòd ſi quæras, an ſimul cum humanitate in hoc ſacrificio offeratur etiam ſuppoſitum divinum; Dicēdum eſt,eo modo,quo fuit in Cruce oblatum, offerri quoque in altari,& ſacrificio Miſſæ,nempè per ſolam idiomatum communicationem,non per formalem actionis ſacrificativę ſubjectionem,implicat enim,ſuppoſitum divinum eſſe capax mutationis quæ ad ſacrificium requiritur, & ſignificationis cultus divini, nam hæc ſupponit inferioritatem ad Deum, quod divino ſuppoſito convenire nequit.

Confir. quia Chriſtus in ſumptione ſacramenti immutatur modo ſufficienti ad ſacrificium, quia licèt non deſtruatur quoad eſſe ſimpliciter, ſicut in antiquis ſacrificiis victima mactabitur,& cremabatur,tamen deſtruitur quoad eſſe ſacramentale, & licèt nō deſinat quoad ſubſtantiam,benè tamen quoad præſentiam ſacramentalem;idque prorſus ſufficit,ut propriè dici poſſit in Euch. ſacrificari,quia hoc ſacrificium ſic Deus inſtituit, hoc nempè modo extraordinario, & ſingulari alii victimus, & ſacrificiis non cōmunis,

73 Demùm etiam ſpecies ſacramentales pertinent ad rem, quę in hoc myſterio ſacrificatur; Hoc enim expreſsè deducitur ex verbis Tridentini allegatis,dùm inquit,Chriſtum obtuliſſe corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis,& vini, & ſeipſum ſub ſignis viſibiiibus Immolandū inſtituiſſe,quo planè loquendi modo ſignificavit,has quoque ſpecies ſēſibiles ad victimā hujus ſacrificii pertinere imò Conciliū in illo eodem capite rationē congruitatis aſſignat, dùm inquit *ut dilecta Sponſæ ſuę Eccleſiæ, viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinquere ſacrificium* quia ergo victima, ut ſit humano uſui accomodata, debet eſſe ſenſibilis, ideò, & ipſæ ſpecies ad rationem hujus victimæ pertinere debent; Rurſus ſpecies ipſę valdè immutantur, nam ſumptione conſumantur, & in conſecratione à ſubjecto abſtrahuntur,ergo nil obſtat; quin pertinere poſſit ad res, quæ in hoc ſacramento ſacrificantur. Tùm Tādem quia expreſsè habetur ex Canone *Hoc eſt* de Conſec *diſt. 2.* ubi dicitur *Hoc ſacrificium duobus conſtare viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri Jeſu Chriſti carne, & ſanguine.*

Cæterum Vaſquez, Coninchius, Meratius, & alii Recentiores quos ſequitur ex noſtris Gavatius *diſp. 1.* de ſacrificio Miſſę *qu. 6.* dicunt,id quod in hoc ſacrificio offertur eſſe ſolum Chriſtum cum ordine ad ſpecies,ipſas tamen ſpecies intrinſecè, ut partem rei oblatę,ad ſacrificium Miſſæ non pertinere; & hoc ad ſummum probare teſtimonium Tridentini adductum;& oppoſitum potiùs noſtræ concluſionis indè deduci,ſi enim ſub ſpeciebus panis, & vini obtulit corpus,& ſanguinem, igitur res oblata fuit corpus, & ſanguis,ſpecies verò id ſub quo; ſimiliter ſi ſeipſum ſub ſignis ſenſibilibus immolandum inſtituit,jam res immolata eſt Chriſtus, ſpecies autem non id quod;ſed ſub quo Chriſtus immolatur,adeòut res in hoc ſacrificio oblata,& immolata in recto eſt Chriſto,ſpecies autē in obliquo ſolùm;itaq; cōcludunt, quòd ſpecies non ſunt res oblata,nec pars rei oblatæ,ſed modus,ſub quo Chriſtus offertur, & immolatur. Quod etiam probant,quia ſi ſpecies panis; & vini rem oblatam integrarent,Chriſtus non eſſet tota hoſtia,ſed pars hoſtię; ſicut quia ſpecies pertinent ad eſſentiā ſacramenti,Chriſtus nō eſt totum ſacramentū,ſed pars ſacramenti, hoc autem eſt cōtrà Patres affirmantes,Chriſtum eſſe integram hoſtiam in hoc ſacrificio. Deindè,quia ſpecies non ſunt dignæ, quæ in tanto ſacrificio offerantur;ut pars hoſtiæ infinitè dignæ. Tandem quia ſi ſpecies panis, & vini pertineret eſſentialiter ad rem oblatam,non eſſet idem ſacrificium,quod offertur hic,& oblatum fuit in Cruce, quod eſt contrà Trid. *ſeſſ. 22. c. 2.* affirmans unam, eandemque eſſe hoſtiam ſola offerendi ratione diverſam,ita arguit Vaſq. *diſp. 223. n. 43.* Coninch. q. 84. art. 1. dub. 4. & cum eis Gavatius *loc. cit.*

Sed ut verum fatear; hæc lis mihi videtur de Lana caprina, & pura de nomine contentio; Auctores enim primum dicendi modum ſequentes,ut Suarez, Becanus, Scortia, Averſa, Amicus, & alii, eatenus dicunt, ſpecies ſacramentales panis, & vini intrinſecè ad rem in hoc ſacrificio oblatam pertinere,inquantum res oblata non eſt Chriſtus nudè ſumptus,ſed ut ſimul cum ſpeciebus unum compoſitum ſacramentale conſtituunt;undè ſolvendo argumēta propoſita, Ad primum gratis concedunt ſpecies non poſſe propriè dici partem hoſtiæ,quia hoc ſonat ſubſtantiale quid, ſicut ſonat hoſtia ipſa,quia hoſtia propriè ſtat pro ſubſtantia rei oblatæ, non pro accidentibus; quæ ſolùm requiruntur ad reddendam hoſtiam ſenſibilem, & quamvis ſimul offerantur cum ſubſtantia; non tamen offeruntur, ut quid principale, & primariò intentum, ſed ut quid minus principale,& ſecundarium. Nec eſt eadem ratio de ſacramento,& ſacrificio,quia ſacramentum primariò conſiſtit in ſignificatione,quod æquè accidentibus,ac ſubſtantiæ convenire poteſt, ſacrificium verò in hoſtia ſacrificanda conſiſtit; quæ principaliter, & primariò convenit ſubſtantiæ.

Ad Confirmationem concedunt,ſpecies non eſſe dignas, ut in hoc ſacrificio offerantur, ut pars æquè principalis, non autem ut minùs principalis, & quaſi extrinſecum victimę indumentum.

Ad ultimum negant ſequelam, quia ut ſit idem hic, qui oblatus fuit in Cruce,ſufficit, ut ſit idem ſubſtantiale individuum, eſto ſit accidentaliter diverſum, non etiam per ipſos in Cruce Chriſtus fui oblatus cum præſentia diviſibili; & accidentibus naturæ mortalis;hic è cōtrà cum pręſentia indiviſibili, & accidentibus naturæ ſubſtantialis,& glorioſæ; Cujus ratio à priori eſt, quia inviduatio non deſumitur ab accidentibus,vel à ſubſtantia;ergo variatis accidentibus modo eſt non variatur ſubſtantia,ſemper idē manet individuum,undè idem eſſet individuum, quod uno tempore eſſet album, alio verò nigrum, & juxta hanc doctrinam explicant Concilium *loc. cit.*

Ex his,inquam,ſolutionibus patet, quomodo hæc contentio ſit de ſolo nomine,& diſcrepantia in ſolo modo loquendi, & Hiqu. *4. d. 13. q. 5.* ſui Commentarii,ubi primum dicendi modum ſequitur aſſerens,ſpecies in ratione ſacrificii unum integrū conſtituere cum Chriſto ſub ipſis,gratis concedit, adhuc ſpecies ſe habere, ut quo,& Chriſtum,ut quod; rationem adducit, quia ſacrificium ex viſibile, & ſenſibile ſignum, & mediantibus ſpeciebus convenit Chriſto eſſe, quod habet in ſacramento, & ſacrificio, ergò ab iis in ratione ſacrificii non præſcindit; quia tamen Chriſtus, ut ſub ſpeciebus offertur,ideò oblatio terminatur ad Chriſtum;ut ad rem principaliter oblatam, & ad ſpecies, ut quo; Non ergò repugnat, quòd ſpecies pertineant ad rationem ſacrificii tantùm, ut quo, & adhuc cum Chriſto, ut quod; integrent unam rationem ſacrificii cum ipſo;quarè utraque opinio ſuſtineri poteſt, quia in re Auctores utriuſque conveniunt; & ſolùm in modò loquendi diſcrepant, omnes enim concedunt,ſpecies ſacramentales pertinere ad rem, quæ in hoc myſterio ſacrificatur, quod eſt intentum noſtrum in hoc puncto.

ARTICULUS SECUNDUS.

Epiſcopus quæſtio quoad alteram partem.

75 PLures actiones in Miſſa exercentur, quibus hoc ſacrificium perficitur,ideòque dubitatur,quænam ipſarum pręſertim ad eſſentiam ſacrificii ſpectet; Prima eſt oblatio panis, & vini in offertorio,quod ab oblatione denominatur;Secunda actio eſt conſecratio corporis,& ſanguinis Domini;Tertia eſt oblatio, quæ fit poſt conſecrationem dicendo, *Offerimus præclaræ Maieſtatis tuæ de tuis donis,ac datis hoſtiam puram* &c. Quarta eſt fractio hoſtiæ, & particulæ ejus mixtio in ſanguinem. Quinta tādem eſt ſumptio ſacramenti ab offerente. Hinc plures exortæ ſunt opiniones, quænam actio circà Euchariſtiam ſit propriè ſacrificium.

Prima opinio docet,ſacrificium Miſſę cōſiſtere in oblatione panis, & vini; quæ ſit antè, & in oblatione corporis,& ſanguinis, quæ

fit poſt conſecrationem, quæ ſententia à Vaſquez, & aliis Recentioribus adſcribitur Scoto in *4.d.13. q. 2. §. Ad quæſtionem*, ubi indicat oblationem, quæ fit in Offertorio, eſſe ſacrificium panis, & vini, & oblationem, quę fit poſt conſecrationẽ, eſſe ſacrificium corporis, & ſanguinis Chriſti; Gabriel verò *q.1.a.2. dub.* 2. & quidã alii indicarunt, ſolam dictã poſteriorem oblationem habere rationem huius ſacrificii, Canus autem *lib.12. de locis Theol. c. 13. ad* 4. vult, etiam fractionem hoſtiæ conſecratæ ad eſſentiam hujus ſacrificii pertinere. Secunda ſententia docet, ſolam ſumptionem eſſe propriè, & formaliter ſacrificium, conſecrationem verò ſe habere antecedenter, veluti actionem prævìam, & præparationem, ita Angles, Ledeſma, & alii apud Vaſq. diſp. 222. c. 3. Tertia è contrà aſſerit, in ſola conſecratione ſalvari eſſentiam huius ſacrificii, ſumptionẽ verò ſe habere potiùs conſequenter, & non niſi extrinſecè ad illud pertinere, ita Alanus, Suar. Vaſq. Coninch. Meratius, Bernal, Caſpenſis, & alii. Quarta demum aſſerit, in utraq; actione ſimul, conſecratione nempè, & ſumptione hujus ſacramenti rationem eſſentialiter conſiſtere, ita Bell. Scortia, Card. de Lugo, Averſa, Amicus, & noſtris Hiquęus, Poncius, Gavat. & alii quamplures, quæ ſententia communior eſt, & probabilior, itaque pro reſolutione quæſiti,

76 Primò dicendum eſt, nec oblationes verbales, antecedentes, & conſequentes conſecrationem, nec fractionem ſacramenti eſſe de eſſentia, vel integritate ſacrificii Miſſæ.. Hæc eſt contrà primam opinionem, & probatur, quia oblatio antecedens in ea forma, & modo, quo fit, non fuit à Chriſto adhibita, & Eccleſia primitiva eam non adhibuit, neque in Lithurgiis eodem modo habetur; nec etiam ſemper fuit in uſu Eccleſię oblatio conſequens, quamvis antiqua ſit, neque Chriſtus eam adhibuit, quamvis verè hoc ſacrificiũ obtulerit; ergo ex ſenſu Eccleſiæ neutra ſpectat ad eſſentiam ſacrificii; & licèt Chriſtus panem fregerit, tamen illa fractio non ſe habuit formaliter ad rationem ſacrificii, ſed ſolùm materialiter, ut ſacramentum Apoſtolis diſpenſaretur. Conf. quia tota huius ſacrificii ratio à Chriſto ipſo inſtituta fuit, & eadem ſemper in Eccleſia perſiſtit, ſed illæ actiones inſtitutæ ſunt ſolùm ab Eccleſia, ſicut & aliæ cæremoniæ, nec ſemper eodem modo in tota Eccleſia fuerunt. Tandem, quia actiones illæ, ſi aliquando omittantur, adhuc ſacrificium eſt integrum, & perfectum eſſentialiter, neque opus eſt, eas ſuppleri; hoc patet de oblatione verbali, ſivè antecedenti, ſivè cõſequenti ad conſecrationem, nam in Rubricis Miſſalis habetur, quòd in eo caſu, quo quis conſecraret aquam pro vino, & iterum conficiendum eſt in vino, non præmittitur rurſus oblatio calicis, ſed repetũtur verba Canonis ab illo, *Deindè poſtquam cœnavit* &c. patet etiam de fractione hoſtiæ conſecratę, quæ ſi in calicem decidat, & tota infundatur, nõ debet dividi, ut rurſus notatur in rubrica Miſſalis; ergo illæ actiones nec ſunt de eſſentia, neq; de integritate huius ſacrificiis, ut alii loquũtur, & quãvis oblatio ſit de ratione intrinſeca, & eſſentiali ſacrificii; nõ tamen eſt illa verbalis, quæ conſecrationem antecedit, vel ſubſequitur, ſed alia mox declarãda. Neque oppoſitũ docuit Scotus *loc. cit.* quando enim ibi dicit, Offertoriũ non ſpectare ad ſacramentum, ſed ad ſacrificium, ſumit ſacrificium in latiori ſignificatione per oblatione etiam cæremoniali, quæ diſponit ad eſſentialem oblationem, qualis eſt conſecratio, ut notãt Hiquæus 4. d, 13. q. 2. ſui Commentarii n. 67.

17 Secundò dicendum eſt, nec ſolam ſacramenti ſumptionem, nec ſolam conſecrationẽ integrare eſſentiam ſacrificii Euchariſtici, ſed utramq; ſimul. Ita Auctores citati pro quarta ſententia, & de ſumptione probatur, quia ſi hæc ſola eſſentiam ſacrificii conſtitueret, & conſecratio ſolùm ſe haberet, ut actio prævia, & præparatio ad ſacrificium, ut dicebat ſecunda ſententia, nempè tanquam productio, vel adductio victimæ per ſumptionem ſacrificandæ, ſequeretur, quòd etiamſi Sacerdos ex hoſtia multò antea conſecrata, vel ab alio, vel à ſe, poſteà ſumeret; talis ſumptio adhuc haberet ſacrificii rationem, dùm fieret intentione offerendi cultum Deo; & præthereà cùm ſumptio etiã Laicis conveniat, & omninò extrà ſacrificiũ ſequeretur, rationẽ ſacrificii ab uſu ſacramenti differre ex ſola diverſitate ſumentis, & intentionis & non ex ipſa ratione, & uſu externo, quæ ſunt abſurda manifeſta. Quòd nec etiam ſola cõſecratio ſufficiat ad eſſentiam huius ſacrificii conſtituendam, ex eo patet, quia hac ratione neceſſarium eſt, ut Sacerdos ſacrificans ſumat quoq; ſacramentum, & ab omnibus dicitur eſſe neceſſariũ ad perficiendum, & conſumandum ſacrificium, ut notat Alenſis *qu. 11. memb. 2. art* 4. qua ratione præcipit Rubrica Miſſalis, & habetur in Iure *cap. Nihil, & cap. Illud 7. q. 1.* quòd ſi fortè deficiat Sacerdos poſt conſecrationem, & adſit alius quamvis non jejunus, debeat hic ſupplere, & ſumere; ſi ergò Sacerdos ſacramentum ſumere debet neceſſariò, & indiſpenſabiliter, ergo ſumptio quoque eſt de ratione intrinſeca, & eſſentiali ſacrificii, aliàs non poteſt reddi ratio ſufficiens, cur ſit tàm ſtricta obligatio ex præcepto, & jure divino ſumendi ſpecies conſecratas, niſi quia abſque ſumptione hoc ſacrificium non eſt integrum, & perfectum eſſentialiter; quod etiam docuit Concilium Tridentinum 12. c. 4. ubi eos reprehendit, qui non ſumebant in ſacrificio Miſſæ corpus, & ſanguinem Chriſti, & reddit rationem. *Nam quale erit ſacrificium, cuius nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur*.

78 Deinde probatur ratione, quia in quocunque ſacrificio propriè accepto præter oblationem victimæ, quæ offertur, neceſſaria eſt aliqua victimę immutatio, alioquin non ſacrificiũ, ſed ſimplex oblatio foret, ut cõſtat ex dictis; ſed nulla poteſt aſſignari immutatio in ſacrificio Miſſæ prętet illam, quæ fit per ſumptionem, ergo ſumptio quoque eſt de eſſentia ſacrificii; minor probatur, quia iſta immutatio circa hoſtiam oblatam fieri debet, hoſtia enim offertur ut ſacrificetur; ergo debet eſſe conſequens ipſam oblationem, ideòque per ipſam oblationem fieri nequit talis immutatio; ſed per cõſecrationem Chriſtus, ut victima, in altari offertur, ergo per ſolam ſumptionem immutatur, quia ſolùm per eam conſumatur, & deſtruitur. Ex his ſufficienter deducitur, utramq; actionem, nempè conſecrationem, & ſumptionem eſſentialiter ſacrificium Euchar. integrare, nam ea tantùm actio cenſenda eſt eſſentialis huic ſacrificio, quæ omiſſa neceſſariò eſt repetenda, quia nequit hujus neceſſitatis alia aſſignari cauſa: atqui tãtùm cõſecratio, & cõſumptio omiſſa neceſſariò eſt repetẽda, ut cõſtat ex proximè dictis; ergo &c.

Sed quamvis utraque actio ad eſſentiam hujus ſacrificii ſpectet, adhuc tamen addendum eſt, conſecrationem ſe habere magis principaliter, nam illa actio magis principaliter ad eſſentiam ſacrificii concurrit, propter quam principaliter confertur poteſtas ipſa ſacrificandi, nam poteſtas ſacrificandi eſt propter ſacrificium; ſed poteſtas ſacrificandi principaliter confertur propter conſecrationem, ergo hæc principaliùs ſpectat ad ſacrificium; Minor colligitur ex forma ſacerdotii à Concil. Flor. aſſignata, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia* &c. ſed hæc poteſtas principaliter cadit ſuprà cõſecrationem corporis, & ſanguinis Chriſti, nam propter hanc illa principaliter confertur, ut conſtat ex Trid. *ſeſſ. 23. can. 1.* ubi actionem ipſam conſecrandi aſſignat, tanquam primam, ac principalem actionem ſacerdotii. Tùm quia hęc actio conficiẽdi ſacramentum eſt magis digna, quàm illud ſumendi, & in conſecratione magis repræſentatur paſſio Chriſti, quę fuit ſacrificium cruentum, cui deinceps ſubſtitutum eſt hoc noſtrum ſacrificium incruentum, ac demùm in perſona Chriſti exercetur.

Verùm quamvis conſecratio ſit pars magis principalis hujus ſacrificii, adhuc tamen difficile eſt explicare, quomodo ad eſſentiam ſacrificii pertineat, de cujus ratione eſt, ut victima, quæ ſacrificatur, immutetur, & deſtruatur; in conſecratione autem tãtùm abeſt, ut deſtruatur Chriſtus, quòd potiùs tunc ſub novo modo eſſendi in ſacramento conſtituitur, quomodo ergo per conſecrationem immutatur, prout ad rationem ſacrificii requiritur; Pro hujus Difficultatis explicatione varii dicendi modi ſunt à Recentioribus excogitati, quos breviter referemus, & examinabimus.

ARTICULUS TERTIUS.

Quomodo conſecratio ad eſſentiam ſacrificii pertineat.

79 PRimus dicendi modus eſt aliquorum, qui dixerunt, ideò conſecrationem ad eſſentiam ſacrificii pertinere, quia in intervenit deſtructio ſubſtantiæ panis, & vini, quę deſtructio fit in cultum, & honorem Dei. Qui dicendi modus communiter reiicitur à Bellarmino, Vaſquez, Card. de Lugo, & alii, quia ſic dicendo non tàm corpus, & ſanguis Chriſti, quàm ſubſtantia ipſa panis, & vini ſacrificaretur; illud namque ſacrificari dicitur, per cujus deſtructionem Deum colimus; cùm ergo juxtà hunc dicendi modum ſolius panis, & vini deſtructione exhibeatur hic Dei cultus, illa ſolùm ſacrificantur, non verò corpus, & ſanguis Chriſti; Ex quo fieret, contrà expreſſum Patrum, & Conciliorum teſtimonium non eſſe idem ſacrificium Miſſæ, & ſacrificium Crucis, neque noſtrum ſacrificium ſacrificiis veteris legis excellentius eſſe, ſed inferius, & ignobilius, cùm nobilior pane, & vino ſit ovis, & agnus, vel vitulus.

Secundus dicendi modus eſt, intantùm conſecrationi convenire rationem actionis ſacrificativæ, inquantùm per eam vi verborũ corpus à ſanguine ſeparatur, licèt enim utrumque ſub utraque ſpecie per concomitantiam, ut victima reperiatur, hoc tamen per accidens eſt, verba enim, quantùm eſt de ſe, corpus à ſanguine ſeparant, & compoſitum illud diſſolvunt, atque ita ſacramentaliter illud mactant, ac in Altari, ut victimam occiſam, & mactatam ponunt; ita Leſſius *lib.* 2. de perfectionibus divinis *nu.* 95. qui modus dicendi etiam nobis aliquando placuit. Sed re vera hęc ſola immutatio verbalis per ſeparationem corporis, & ſanguinis Chriſti ad veram rationem ſacrificii non ſufficit, ut hic de eo loquimur, quia dùm à parte rei non ſequitur realis eorum ſeparatio, undecunque impedimentum proveniat, ſemper verum eſt dicere, quòd immutatio, ac deſtructio victimæ non intervenit; quarè ſi hæc eſt de ratione ſacrificii, ut communiter concedunt omnes, dicetur impediri actio ſacrificii.

80 Tertius dicendi modus eſt eorum, qui dicunt, in ſacrificio non ſemper requiri phyſicam deſtructionem ſubſtantialem hoſtiæ, ſed vel phyſicam, vel humanam, itaut ex vi ſacrificationis hoſtia, prout eſt in termino actionis, habeat ſtatum aliquem decliviorem, & reddatur inutilis ad humanum uſum, vel ſaltem in alium uſum permutetur à ſuo priori ſtatu diverſum. Ita enim olim ſacrificia fiebant, non ſolùm per animalium occiſionem, ſed etiam per panis coctionem, per vini effuſionem, & ſi quæ ſunt ſimilia. Sic ergo Chriſtus in Miſſæ ſacrificio, quamvis ſubſtantialiter non deſtruatur, tamen deſtruitur modo humano, quatenus accipit ſtatum decliviorem, & ad humanos uſus ſecundum ſe inutilem, ſeu ad humanas operationes, & transfertur in uſum cibi, & dotus à ſuo ſtatu naturali longè diverſum; hac igitur de cauſa veriſſimè dicitur Chriſtus ipſa conſecratione ſacrificari, & ad tale ſacrificium ſufficit hæc immutatio ſacramentalis pęnès diverſum modum eſſendi; ita Card. de Lugo *diſp. 19. ſect.* 5.

Sed neque hic dicẽdi modus, licèt ſatis ſubtilis ſatisfacit, & ſolidè reiicitur ab Averſa *q. 11. ſect.* 4. eſtò enim valeret, ſi Chriſtus in hunc ſtatum, & uſum ſacramentalem transferretur, quòd amitteret ſtatum ſuum naturalẽ in ſeipſo, & ita de illo decideret, ac permutaretur in hunc alium ſtatũ decliviorem; tamen dum adhuc in ſuo eſſe primo naturali permanet, nihil iam deperdit per hũc aliũ modum poſteriorem, ſed potiùs alium novum modũ eſſendi acquirit, quem priùs non habebat; quare tantùm abeſt, ut hoc modo ſubeat mutationem deperditivam, & deſtructivam, quòd potiùs ſubit acquiſitivã, & productivam, etiamſi hic novus eſſendi modus ſit inferior, ac diverſus ab alio modo naturali, quem adhuc in ſe ipſo retinet; Ex quo patet, exẽplũ pro hoc dicendi modo ſuperiùs adductũ non eſſe ad rem, quia ſi quando vinũ effundebatur in terra, adhuc etiam in poculo, vel patera retentũ in ſuo ſtatu permanſiſſet, & per replicationẽ fuiſſet ſimul in terram deductũ non diceretur immutatũ mutatione deſtructiva, & per hoc ſacrificatũ, ſed potiùs mutatione quadam novi loci, & ſtatus acquiſitiva licèt deterioris, ſine deperditione prioris ſibi magis accomodati.

Confirmatur, quia ſi hac ratione ſolùm dicamus, Chriſtum per cõſecrationem immutari actione deperditiva, eo quòd in ſtatu decliviori conſtituitur; ergo quando poſteà à tali ſtatu liberatur per ſumptionem Euchariſtiæ, dici deberet immutari mutatione acquiſitiva, & perfectiva, quod neque Auctor ille concederet, cùm ipſe quoque dicat, ſumptionem etiam ſacrificii rationem participare, quia per ipſam Chriſtus eſſe ſacramentale deperdit, quod jam per conſecrationem acquiſitum fuit abſque ulla deperditione, vel immutatione prioris ſui ſtatus perfectioris; Et planè ſtare non poteſt, quòd & conſecratio, qua Chriſtus in hoc ſacramento conſtituitur, & ſumptio; per quam tali ſtatu exuitur, ſit mutatio deſtructiva, ſed omninò dici debet, conſecrationem fuiſſe mutationem acquiſitivam novi eſſe ſacramentalis, & poſteà ſumptionem eſſe actionem, vel mutationem deſtructivam illius modi eſſendi, qui conſecratione jam acquiſitus fuerat.

81 Quartus dicẽdi modus diſtinguit ſacrificiũ in abſolutũ, & cõmemorativum, & inquit, de ratione quidem ſacrificii abſoluti eſſe actualem immutationem, ac deſtructionem victimę, ſed de ratione ſacrificii cõmemorativi ſatis eſſe repręſentationẽ verę immutationis, ac deſtructionis, quæ fuit in abſoluto, cujus eſt cõmemorativum, & tale dicunt, eſſe hoc ſacrificium Euchariſtiæ, cujus ratio in conſecratione conſiſtit, quatenus per illam ſacrificium Crucis repręſentatur cum vera præſentia Chriſti ibi contenta, ita Vaſquez *diſp. 222. c. 7. & 8.* Meratius *diſp. 36 ſect.* 4. & alii.

At neque hic dicendi modus ſatisfacit, non enim poteſt ſalvat complete eſſentia Euchariſtici ſacrificii in ſola repræſentatione ſacrificii cruenti abſque reali immutatione, etiam in ſacrificio incruento interveniente; hoc enim myſterium utique paſſioni Chriſti eſt repræſentativum, & ſacrificii illius cruenti, ſed ſimul etiam in ſe verum eſt ſacrificium, & non analogicè tantùm ideòque continere debet aliquam actualem, & præſentem victimę immutationem, & non præteritam tantùm, nam actualis victimę immutatio, & præſentia ad verã ſacrificii rationem eſt neceſſaria undè ſacrificium Euchariſticum, cùm ſit verum, & proprium ſacrificium, non tantùm dici debet commemorativum, ſed etiam in ſe abſolutum; nam ſi ſacrificium ea tantùm ratione diceretur quatenus ſacrificium mortis Chriſti repræſentat, ſolùm analogicè, & ęquivocè ſacrificium eſſet, ſicut imago hominis analogicè tantùm, & æquivocè dicitur homo. Nec juvat, quod Vaſquez addebat de reali Chriſti præſentia in hoc ſacramento; Non juvat, inquam, non enim ſufficit, quòd ipſe Chriſtus in hoc ſacramento ſui ipſius mortem repræſentet, ut verè dicatur incruentè ſacrificari, nec ſufficit realis præſentia ejus in hoc ſacrificio, niſi etiam ſit præſens aliqua ejus immutatio; ſicut à pari, ſi ille qui anteà vulneratus fuerat, poſteà in ſcena tale factum repræſentaret, adhuc non niſi analogicè vulnerari diceretur, hoc eſt, repræſentativè; ſicut ergo ſacrificium incruentum diſtinguitur à cruento, cujus eſt repræſentativum, & adhuc propriè, & univocè ſacrificium eſt; ita diſtincta debet immutatione perfici, ut verè ſacrificium dicatur.

Confirmatur, quia ſacrificia veteris legis erant ſacrificia, quæ paſſionem Chriſti ſignificabant futuram, ſignificare autem futurum, aut præteritum perindè facit ad rationem ſacrificii; ergo præter illam ſignificationem, & repræſentationem aliquid aliud exigitur, alioquin non minùs antiquis ſacrificiis diceretur imolatus fuiſſe ipſe Chriſtus, quia in illis quoque paſſio Chriſti repræſentabatur. Denique Sacerdos verè, & propriè ſignificare non dicitur, niſi in rem ipſam ſignificandam veram, & propriam exerceat actionem ſacrificativam; ſed vera, & propria actio ſacrificativa eſt quæ realiter immutat rem ipſam ſacrificandam; ergo cùm juxta hunc dicendi modũ nullam exerceat Sacerdos actionem realiter immutativã rei, quę in hoc ſacrificio offertur, ſed tãtùm repręſentativè, verè, & propriè ſacrificare non dicetur, quod eſt erroneum.

82 Quintus dicendi modus concedit quidem, ſacrificium in immutatione victimæ conſiſtere, ſubdit verò, immutationem non eſſe neceſſariò rei exiſtẽtis deſtructivam, ſed poſſe eſſe vel deſtructivam rei exiſtentis, vel productivam rei non exiſtentis; itaut non ſola immutatio deſtructiva, & traductiva rei de eſſe ad non eſſe, ſed etiam productiva de non eſſe ad eſſe poteſt habere ſacrificii rationem, ſi ſic legitimè inſtituatur; & hoc quidem modo in Euchariſtia inquiunt conſecrationem habere ſacrificii rationem, tanquam immutationem Chriſti productivam, quoad novum modum eſſẽdi ſacramentalem, quæ Chriſtum ſacramentaliter non exiſtentem ſub his ſpeciebus facit de novo ibi exiſtentem; ita rem hanc explicat Averſa loc. cit. cum Suarez *diſp. 75. ſect.* 5. Coninch. *q. 11. art. 1. dub.* 5. & alii Recentiores. Ratio eſt, quia ſicut honoratur, & colitur Deus per deſtructionem, & conſumptionem rei, ita omninò honorari, & coli poteſt per productionem rei, imo per hanc propriè poteſt dedicari, & conſecrari res in obſequium Dei.

Cæterum dicere, rem aliquam, quando producitur, ſacrificari, potuiſſeque Deo ſacrificium offerri generando filios, vel alias res producendo, eſt contrà communem omnium concipiendi, & loquendi modum de ſacrificio, prout de facto inſtitutum eſt; alioquin templi conſtructio, vel alterius rei in cultum Dei verum ſacrificium dici poſſet, & templum illud diceretur verè ſacrificatũ, quod ſanè eſt omninò mutare, & pervertere conceptum, & vocem ſacrificii, ut inquit Card. de Lugo *d. 19. ſect.* 4. Hoc totum concedit Averſa *loc. cit.* quia ad rationem ſacrificii requiritur etiam, ut ſit actio inſtituta per publicam auctoritatem, & exercita per legitimum Miniſtrum: quare concurrentibus iis conditionibus, etiam productio (inquit) potuiſſet habere rationem ſacrificii, & res producta rei ſacrificatæ; quòd ſi de facto aliàs inſtitutum non ſit, tamen inſtitutum eſt in hoc excellentiſſimo Euchariſtiæ ſacrificio, nec mirum, ſi in hoc ſit etiam ſingulare.

Addit, quòd quando etiam ad rationem ſacrificii non ſufficeret productio rei ſiſtendo in tali productione; benè tamen de ratione ſacrificii eſſe poteſt productio rei ordinata ad deſtructionem eiuſdem & cum eiuſdem deſtructione coniuncta; & ſic quidem in pręſenti producitur priùs Chriſtus in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis & vini, ſed in ordine ad conſequentem deſtructionem per comeſtionem, & potationem. Verùm quamvis etiam hoc modo ſacrificium inſtitui potuiſſet, ut ipſa rei productio rationem ſacrificii habere potuiſſet, & res producta rei ſacrificatæ; non tamen ita de facto inſtitutum eſt ſacrum Euchariſtiæ myſterium, neque hoc ex modo loquendi Patrum colligitur, ſed potiùs oppoſitum, undè Divus Auguſt. lib. 7. de Civitate Dei cap. 5. ait, *manducare panem in novo teſtamento eſſe ſacrificium Chriſtianorum*; & ſic etiam loquuntur alii Patres ſignificantes, immutationem hoc ſacrificium conſtituentem in eſſe tali non eſſe per modum productionis, ſed deſtructionis, hoc enim modo præcisè ſacrificium Crucis cruentum repræſentat, & mortem Chriſti, quam ſanè per modum productionis repræſentare non poteſt.

83 Pro ſolutione igitur iſtius difficultatis præſtat dicere; conſecrationem ad intrinſecam, & eſſẽtialem rationem ſacrificii Miſſæ ſpectare, quatenus habet rationem oblationis, qua Sacerdos perſonam Chriſti gerens eiuſdem corpus, & ſanguinem Deo ſuper Altari offert, itaut tota ratio intrinſeca, & eſſentialis ſacrificii Miſſæ conſiſtat tùm in conſecratione, ut habet rationem oblationis, qua Chriſtus in Altari ſub ſpeciebus panis, & vini offertur, tùm in ſumptione, per quam victima per conſecrationem oblata immutatur, & ad deſtructionem ſpecierum ſecundum eſſe ſacramentale deſtruitur; quod totum conſonat doctrinæ ab initio quæſt. de ſacrificio in communi traditæ, ſicut enim ibi diximus, ad eſſentiã, & naturam ſacrificii in communi propriè accepti duo pertinere, nempè oblationem externam, & ſenſibilem ex una parte, & rei oblatæ deſtructionem ex alia, ita in propoſito ſacrificio Miſſæ dicimus intervenire conſecrationẽ, tamquàm oblationem externam, & ſenſibilem, & ſacramenti ſumptionem, tanquam rei oblatæ deſtructionem. Hoc totum ſatis eruditè deducit Gavatius *diſp. 1. cit. q. 3. nu.* 101. ex Scoto 3. *diſt. 9. q. un. art. 3.* ubi ſacrificium Miſſæ oblationem appellat, quam debet Sacerdos offerre pro ſe, & populo, & quol. 20. ab initio ſub A. ubi habet, quandocumque Chriſtus, ut ſummus Sacerdos offert, panis, quem dat, ideſt, caro eius, eſt mundi vita; tunc autem ſemetipſum Chriſtus offerre dicitur, quando dat nobis carnem, ſuam, quod utique non fit, niſi in conſecratione, dùm dicit, *accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*; ergo de mente Doctoris cõſecratio habet rationem oblationis; quod probat Gavat. ibidem plurium Patrum teſtimoniis, quæ apud ipſum videri poſſunt.

Pro-

Probatur expreſsè ex Concil. Trid. *ſeſſ.22. cap.* 1. & *can.* 2. ubi docet, Chriſtum Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus poteſtatem dediſſe offerendi ſacrificium Miſſæ verbis illis; *Hoc facite in meam commemorationem*, verba Conc. 1. ſunt hæc, *& eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite*, &c. & can. 2. ſic loquitur: *ſi quis dixerit, illis verbis, hoc facite &c. non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum anathema ſit*; ex quibus verbis expreſſiſſimè conſtat apud Patres Concil. conſecrare, & offerre eſſe unum, & idem. Confirmatur ex forma ordinationis ſacerdotis, in qua dicitur, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo*, &c. in illa autem forma accipit poteſtatem conſecrandi; ergo conſecratio habet rationem oblationis in Miſſa. Accedit etiam ratio, quia tunc victima dicitur Deo offerri, dùm ſuprà Altare in proteſtationem divinæ excellentiæ, noſtræque ſubiectionis collocatur; nam offerre, ut ex Hæbraico colligitur, ſignificat hoſtiam ad immolationem adducere, ut habetur Gen. cap. 4. & Iud. cap. 6. ſed ex vi verborum, & conſecrationis corpus, & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus adducũtur, & ſuper Altare Dei collocantur; ergo cõnſecratio habet veram rationem oblationis in ſacrificio Miſſæ, quia eſt adductio victimæ, nempè, corporis, & ſanguinis Domini ſuper Altare ad immolationem. Et hic etiam eſt communis loquendi modus Patrum, dum de conſecratione loquuntur, quòd eam oblationem appellant in ſacrificio Miſſæ; undè D. Ireneus l. 4. contra hæreſes c. 32. de Chriſto loquens inquit, quòd ſuis diſcipulis reliquit, *& novam docuit oblationem, nempè ſui corporis ſub ſpeciebus panis, & ſui ſanguinis ſub ſpeciebus vini poſitionem dicendo, hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus*, & ſic paſſim alii PP. loquuntur.

Sed Dices, in Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. & canon. 1. dicitur, dari Sacerdotibus poteſtatem conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus Chriſti; ergo conſecratio eſt actio ab oblatione diſtincta, & conſequenter ad hoc ſacrificium non concurrit, ut vim oblationis habens. Accedit, oblationem panis, & vini fieri ante conſecrationẽ, & oblationem corporis, & ſanguinis Chriſti fieri poſt conſecrationem; ergo oblatio in Miſſæ ſacrificio non in ipſa conſecratione conſiſtit.

84 Reſp. Tridentinum ita loqui, non quia offerre, & conſecrare ſint duæ actiones diſtinctæ, ſed quia conſecrare in plus ſe habet, quàm offerre, multa namque conſecrantur, quæ non offeruntur, ut templa, calices, &c. ita ergo Concil. loquitur, ut ſignificet poteſtatem, quæ Sacerdotibus datur ſuprà corpus Chriſti verum, non eſſe ad illud quomodocumque conſecrandum, ſed ad conſecrandum, offerendo illud Deo in eius honorem, ut hoſtiam, & victimam in ſacrificio Miſſæ miſticè immolandam. Ad Confir. patet ex dictis ſuprà *ar.* 2. *n.* 76. oblationes illas verbales antecedentem, & conſequentem conſecrationem nõ eſſe de eſſentia, vel integritate ſacrificii Miſſæ, ſed merè ceremoniales; eſſentialis enim oblatio in ipſa conſecratione conſiſtit; nec requiritur, ut in ſacrificio oblatio fiat expreſſis verbis, ſed ſufficit, ſi tantùm fiat re, cùm non in verbis, ſed in rebus, ſacrificii eſſentia conſiſtat; & ſacrificium non tàm in verbis, quam in aliqua actione conſiſtit, nam cùm Abraham filium ſuum ſacrificabat, nihil certè ſcimus, aliquid fuiſſe locutum, ſed ſolùm voluiſſe filium occidere in Dei honorem; non ergo poteſt in oblationibus illis vocalibus verum ſacrificium conſiſtere, quia oblationes illæ non fiunt à Sacerdote in perſona Chriſti, ſed in perſona propria Miniſtri, ut ex ipſis verbis manifeſtum eſt, atqui ſacrificium offertur in perſona Chriſti in ipſa conſecratione, atque ideò in ea ſolùm fit oblatio ad rationem eſſentialem huius ſacrificii ſpectans.

ARTICULUS QUARTUS.

Solvuntur Obiectiones Adverſariorum.

85. IN oppoſitum obiicitur, primò ad probandum, hoc ſacrificium nullatenus in conſecratione, ſed in ſola ſumptione conſiſtere, quoniam in ea actione integra eſſentia ſacrificii conſiſtit, quæ victimam immutat; atqui ſola ſacramenti conſumptio victimam immutat, quia per hanc ſolam deſtruitur eſſe ſacramẽtale, quod Chriſtus, ut victima habet in hoc ſacramento, ergo &c. Confir. quia conſecratio eſt tantùm victimæ præparatio, quæ ad ſacrificium non pertinet, niſi diſpoſitivè, alioquin etiam Incarnatio ad cruentum Crucis ſacrificium pertinuiſſet, quia per illam victima Crucis præparata fuit. Deniq; in die Paraſceves offertur in Eccleſia ſacrificium, nam in Offertorio illius diei nominatur ſacrificiũ ſicut in aliis diebus: *ſic fiat ſacrificium in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus* tunc autem Sacerdos non conſecrat, ſed tantùm ſacramentum ſumit; ergo ſola ſumptio conſtituit ſacrificium, & in Eccleſia Græca per plures dies Quadrageſimæ idem ſervatur.

86 Reſp, omiſſis aliorum ſolutionibus, iuxtà noſtra principia art. præcedenti tradita negando maiorem abſolutè loquendo, quia ad rationem ſacrificii pertinet quoque oblatio, tanquam ratio generica, ut docet etiam D. Thomas *qu.* 86. *art.* 1. omne enim ſacrificium eſt oblatio, quamvis è contrà non omnis oblatio ſit ſacrificium, quia ſacrificium, quamvis oblationem eſſentialiter includat, addit ulteriùs, quòd circa rem oblatam fiat aliqua immutatio nam ſi res oblata integra maneret, poſſet habere ſolùm rationem doni, vel ſimplicis oblationis, non vero ſacrificii; ex quo patet, falſum eſſe omnem actionem ad ſacrificium eſſentialiter ſpectantem eſſe debere rei oblatæ immutativam, nam oblatio ad ſacrificiũ ſpectans eſt ordinata quidem ad aliam actionem victimæ immutativam, ipſa tamen in ſe non eſt formaliter talis, cum quo adhuc ſtat, ut ad eſſentiam ſacrificii ſpectare poſſit, nam ipſa quoque in ſe conſiderata eſt ſufficiens nota ſupremi dominii Dei, ut ſubjectionis noſtræ, undè conjuncta poſteà cum alia actione formaliter victimæ immutativa, quæ in propoſito eſt ſumptio, integrat cum ea totam ſacrificii eſſentiam. Ad Confirm. negatur rurſus aſſumptum, nam cùm victima Euchariſtica principaliter offeratur, & ſuper Altare adducatur ad poteſtandum ſupremum Dei dominium, non eſt tantùm ſacrificii præparatio, ſed ipſum quoque ſacrificiũ ſaltem partialiter, quia talis actio præſertim cum ordine ad aliam victimæ immutativam apta eſt, ut accedente Dei inſtitutione fiat formaliter ſacrificium. Nec eſt eadem ratio de Incarnatione, quia non fuit finaliter terminata ad humanitatem, ut eſſet victima, ſed propter gloriam ipſius, ut unita Verbo eſſet naturalis filius Dei, ut dictum eſt lib. 3. ſentent. tractando de fine Incarnationis. Ad ultimum negatur, Eccleſiam illo die ſacrificium conficere, cùm non conſecret, ſed ſolùm participat Sacerdos de ſacrificio ſumpto pro victima, pro ſe, & pro populo facta, illam comedendo pro ſe, & pro populo, undè meritò populum aſtantem rogat, ut ſacrificium illud; ideſt; res illa in ſacrificium pridiè oblata cedat per manducationem in ſuam, totiùs populi utilitatem; undè nomen ſacrificii in eo loco non ſignificat actionem ſacrificandi, ſed corpus Chriſti pridiè in ſacrificium oblatum.

87 Secundò obiicitur è contrà ad probandum, nullatenus in ſumptione, ſed in ſola conſecratione conſiſtere hujus ſacrificii rationem, nam illa ſola actio eſt eſſentialis hujus ſacrificii, quæ in perſona Chriſti exercetur, Chriſtus enim ipſe, mediante Miniſtro eſt principalis offerens; ſed ſola conſecratio profertur à Sacerdote in perſona Chriſti, cùm ſumptio exerceatur in perſona propria, ergo &c. Confirm. quia ſumptio eſt uſus ſacramenti, quod formaliter à ſacrificio differt, & eſt communis etiam Laicis, quibus tamen non convenit ſacrificare; Nec repræſentat paſſionem, & mortem, ſed potiùs ſepulturam Chriſti, cùm tamen ſacrificium cruentum in morte conſumatum fuerit, non in ſepultura, eique debet ſacrificium incruentum conformari. Tandem Sacerdos interdũ præter hoſtiã, quam ipſe ſumpturus eſt, alias quoque plures conſecrat, vel in ſacrario ſervandas, vel populo diſpenſandas; ſed etiã in his aliis formulis Chriſtus eſt perfectè ſacrificatus, & ĩmolatus; ergo de ratione ſacrificii non eſt ſũptio, ſed ſola conſecratio.

88 Reſp. negando maiorem, alioquin ita à pari in ſacrificio cruento argumentari liceret; in ſacrificio cruento Cruci ſolus Chriſtus fuit, qui ſeipſum ad Crucem, & paſſionem obtulit; ergo ita in illa obligatione totaliter, & adæquatè ratio ſacrificii cruẽti poſita fuit, ut paſſio, & mors Chriſto illata ad illud eſſentialiter nõ ſpectet; patet autem, hanc conſequentiam eſſe falſam, nam abſque Chriſti morte non fuiſſet ſacrificium illud eſſentialiter perfectũ, juxtà illud Apoſtoli ad Hebræos, *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*: Ex eo igitur quòd potiùs cõſecratio, quàm ſumptio in perſona Chriſti exercetur, ad ſummum deduci poteſt, conſecrationẽ eſſe magis principaliter de ratione ſacrificii, quia Chriſtus ipſe eſt principalis offerens. Ad Confir. dicendum, eandem ſumptionem à Sacerdote factam ſecundum diverſas rationes eſſe uſum ſacramenti, & partem ſacrificii; eſt uſus Sacramenti, quatenus refertur ad ſanctificationem ſumentis, eſt etiam pars ſacrificii, quatenus refertur ad cultum divinum; Laicis verò convenit, non ſub ratione ſacrificii, quia nec conſecrant, nec ſunt Miniſtri ad hoc idonei, ſed tantùm quatenus uſus ſacramenti. Falſum eſt etiã ſumptionẽ non repræſentare mortem, & paſſionem Chriſti, ut patet ex illo Apoſtoli; *quotieſcumque manducabitis panẽ hunc, & calicem bibebitis, mortem Domini annunciabitis*. Ad ultimum Lugus, Averſa, & alii dicunt, ad perfectionem, & conſtitutionẽ ſacrificii ſatis eſſe, quòd Sacerdos unam ex aliis hoſtiis ſumat, eo enim ipſo aliæ quoque non ſumptæ cenſentur ſacrificatæ; ſicut olim, ut totum vinũ cenſeretur ſacrificatum, non oportebat totũ effundi, ſed aliqua parte effuſa totum ſacrificabatur; Sed planè non video, quomodo aliæ particulæ non ſumptæ dici poſſunt totaliter ſacrificatæ ex hypotheſi, quòd ſumptio ſit de ratione intrinſeca, & eſſentiali ſacrificii; undè potiùs mihi cõcedendum videtur, cum Gavatio noſtro, illas formulas non ſumptas non eſſe verè, & propriè ſacrificatas, licèt ſint conſecratæ, quod etiam concedit Amicus, ſicut non eſt abſurdum, quòd deficiente Sacerdote hoſtia ab ipſo conſecrata, non perfectè ſacrificetur, donec ab alio Sacerdote cõſumatur.

Dices hinc ſequi, Fideles non eſſe participes Altaris, & ſacrificii cùm corpus Chriſti ſumunt, quod videtur contrà illud Apoſtoli 1. ad Cor. 10. *Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* & contrà illud Can. *ut quot quot ex hoc altaris participatione ſacroſanctum*

ſanctum Filii tui corpus, & ſanguinem ſumpſerimus &c. Reſpondeo, aliud eſſe: Fideles non eſſe participes Altaris, aliud non eſſe participes ſacrificii, hoc ſecundum concedo, ſed primum omninò nego; ſunt enim Altaris participes, quatenus participes ſunt ſacramenti Euchariſtiæ, quod verè, & propriè ſacramentum Altaris dicitur; & ideò appoſitè dixit Apoſtolus, Fideles Chriſti corpus ſumentes fieri participes Altaris, non verò dixit eſſe participes etiam ſacrificii, & hac de cauſa etiam in Canone fit mentio præcisè de Altaris participatione, non verò ſacrificii.

89 Tertiò arguitur ad idem, in ea actione cõſtituenda eſt huius ſacrificii eſſentia, per quam Chriſti corpus incruentè immolatur, ſicut eſſentia ſacrificii cruenti ſita fuit in ĩmolatione cruenta: ſed per ſolam conſecrationem corpus Chriſti incruentè immolatur, nam ex vi conſecrationis corpus ponitur ſeparatum à ſanguine, atque ideò myſticè occiſum, & cõſequenter immolatum; ergo in ea tantùm huius ſacrificii eſſentia eſt cõſtituenda. Conf. quia per ſumptionem ad ſummum deſtruuntur ſpecies, non verò corpus, aut ſanguis Chriſti; ergo deſtructione, quæ fit per ſumptionem, non ſacrificatur corpus, aut ſanguis Chriſti. Demum de fide eſt, Chriſtum in ultima Cœna verum obtuliſſe ſacrificium, non eſt autem de fide, ipſum ſacrificium conſumaſſe; ergo non poteſt ſacrificium Miſſæ eſſentialiter in conſumptione conſiſtere, quia non poteſt res certa in principio dubio fundari.

90 Reſp. negando minorem, nam immolatio propriè deſtructionem victimæ importat, Chriſtus autem non deſtruitur ſacracramentaliter per conſecrationem, ſed per conſumptionẽ; & jam dictum eſt ſuprà nu. 79. in confutatione ſecundi modi dicendi, ſolã immutationem verbalem per ſeparationem corporis, & ſanguinis Chriſti ad verã rationem ſacrificii non ſufficere. Ad Conf. dicendum, quod licèt in ſumptione non deſtruantur corpus, & ſãguis Chriſti quoad eſſe ſubſtantiale, & ſimpliciter, deſtruitur tamẽ quoad eſſe ſacramentale, & ſecundũ quid; quod ſufficit, ut verè, & realiter corpus Chriſti in hoc ſacrificio immolari dicatur, & quia in hoc ſacrificio per conſecrationem ſub ſpecie panis verè, & realiter offertur corpus, ſub ſpecie vini ſanguis & per ſũptionem ſpeciei panis verè, & realiter manducatur corpus, per ſumptionẽ vini realiter bibitur ſanguis. Ad ultimũ, quãvis non ſit de fide, & æquè certũ, Chriſtum ſeipſum ſacramentaliter in ultima Cœna conſũpſiſſet, eſt tamen ſatis certum ex Patribus, & omnium Theol. conſenſu comprobatum, ut expreſsè colligitur ex illis verbis Luc. 22. *Non bibam amodò de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*, quæ plane verba non poſſunt, niſi de calice conſecrato intelligi.

91 Quartò Bernal. *diſp.* 21. *ſect.* 2. *§.* 4. ſic arguit, in ſola conſecratione concurrunt omnia ad rationem ſacrificii Miſſæ conſtituẽdam neceſſaria: ergo in ea ſola tota ratio hujus ſacrificii eſt cõſtituenda; probat aſſumptum, duo in Miſſæ ſacrificio ſunt neceſſaria eſſentialiter, Primum, quòd ſit mortis Chriſti repræſentativum, per ſeparationem ſanguinis à corpore inductæ, & hoc ei convenit, nam ex vi verborum conſecrationis ponitur ſub ſpeciebus panis corpus, & non ſanguis, & ſub ſpeciebus vini ſanguis, & non corpus. Alterum eſt, quòd ſit ſubſtantialiter deſtructivum rei, quæ per ſacrificium immolatur, & hoc etiam ſoli convenit conſecrationi: non enim opus eſt, quòd actio ſacrificativa ſit cauſa phyſica vel moralis immediata deſitionis rei, quæ immolatur; ſed ſatis eſt, ſi moralis ſit, & mediata: at conſecratio eſt cauſa moralis, & mediata, ut Chriſtus ſub ſpeciebus citiùs, quàm ex ſe poſtulet, ſubſtantialiter, ac phyſicè deſinat, nam ponit eum ſub ſpeciebus cum phyſica neceſſitate ſubſtantialiter deſinendi ad corruptionem ſpecierũ imò moraliter conſtituit ibi Chriſtum cum obligatione Sacerdotis ad ipſum ſumendum: ergo conſecratio verè, & propriè ſacrifica eſt. Confirmatur, quia ſumptio non eſt cauſa, ut Chriſtus per hoc ſacramentum oblatus ſimpliciter deſinat eſſe; ergo non eſt eſſentialiter ſacrifica, conſequentia patet, quia actio eſſentialiter ſacrifica debet eſſe cauſa, ut res per ſacrificium oblata ſimpliciter deſinat eſſe ſubſtantialiter; probatur aſſumptum, cùm enim conſecratio Chriſtum conſtituat dependentem à ſpeciebus, jam eum conſtituit ſimpliciter obnoxium phyſicæ deſitioni ad corruptionem ſpecierum; ergo eſt cauſa, ut Chriſtus deſinat eſſe multò citiùs, quàm ex ſe deſinere poſceret; igitur quamvis non ſumeretur, deſineret, & proindè ſumptio nõ eſt ſimpliciter cauſa, ut Chriſtus deſinat eſſe ſubſtãtialiter, ſed ut citiùs deſinat, quàm ſi non ſumeretur, atque ideò eſſentialiter ad ſacrificium Euchariſtiæ non ſpectat. Demum arguunt alii, per ſumptionem ſacramenti non ſtatim deſinit corpus, & ſanguis Chriſti ſecundum eſſe ſacramentale, quia non deſinit ſacramentaliter Chriſtus, niſi deſinentibus ſpeciebus, quæ non ſtatim comeſtæ deſinunt, niſi alterentur in ſtomacho: ergo hac ratione potiùs digeſtio, quàm ſumptio ad eſſentiam huius ſacrificii ſpectaret, quia per digeſtionem, non per ſumptionem Chriſtus amittit eſſe ſacramentale.

92 Reſp. negando aſſumptum; ad probationem ex primo capite dico, quod licèt conſecratio ex vi verborum ſit repræſentativa ſacrificii cruenti Crucis per miſticam ſeparationem ſanguinis à corpore, adhuc etiam ſumptio ejuſdem ſacrificii cruenti eſt repræſentativa, & non tantùm ſepulturæ, ſed etiam ipſius mortis Chriſti expreſſio, ut dictum eſt nu. 88. nam ſicut in morte diſſoluta fuit unio animæ cum corpore, ità in conſumptione diſſolvitur unio Chriſti cum ſpeciebus, unde ſicut per illam mactata eſt humanitas naturaliter, ita per hanc corpus, & ſanguis Chriſti ſacramentaliter; & quidem hæc repræſentatio ſacrificii cruenti eſt magis propria, quàm illa, quia verba conſecrationis repræſentant paſſionem, & mortem Chriſti in facto eſſe, nempè corpus Chriſti exſangue, & mortuum, ac ſanguinem effuſum, atq; ità non repræſentant ſacrificium Crucis in fieri, ſed in facto eſſe, & Chriſtum jam in Cruce ſacrificatum; at ſumptio ſpecierum repræſentat mortem Chriſti in fieri, actualem nempè diſſolutionem animæ à corpore, modo nunc explicato. Ad probationem ex alio capite negatur aſſumptum, non enim ſufficit ad conſtitutionem ſacrificii actio, quæ ſit cauſa phyſica, vel moralis mediata deſtructionis rei, quæ immolari debet, ſed prætereà exigitur actualis rei ſacrificata deſtructio, quæ in propoſito ſolùm per ſpecierum ſumptionem habetur; unde quamvis conſecratio ſit cauſa moralis mediata deſitionis corporis Chriſti ſub ſpeciebus, modo jam explicato in argumento, niſi adhuc actu deſinat ſub illis, non diceretur actu immolari, & ſacrificari, ideòq; præter conſecrationem requiritur etiam actualis ſpecierum deſitio, quæ habetur per ſumptionem.

Ad Confirmationem verum eſt aſſumptum, ſi Chriſtus conſideretur ſecundum eſſe ſubſtantiale; falſum autem, ſi ſecundum eſſe ſacramentale, & dùm dicitur, ſi non ſumeretur, adhuc deſineret eſſe ſacramentaliter ad corruptionem ſpecierum; ergo ſumptio non eſt ſimpliciter cauſa, ut Chriſtus deſinat eſſe ſub ſpeciebus, hęc conſequentia eſt gratis omninò deducta; ut enim loquit Gavatius in præſenti, quando agnus in lege veteri ſacrificabatur, certè quamvis ille occiſus non fuiſſet à ſacrificante, adhuc naturaliter mortem ſubiiſſet; nec tamen inferre hinc valet, quòd illa occiſio non fuiſſet vera, & realis cauſa mortis eius.

Ad ultimum, quamvis per ſumptionem Chriſtus non ſtatim deſinat ſacramentaliter, fit tamen in via deſitionis, & hoc ſufficit, ut per illam immolari dicatur, tanquam per actionem magis ſenſibilem, eo enim ipſo, quòd ſacramentum ſumitur, jam ponitur in ſtatu proximo deſtructionis, & etiam in communi modo loquendi cibus omnis ex tunc dicitur deſtrui, & conſumi, cùm manducatur & liquor cùm bibitur, ac etiam in antiquis ſacrificiis immolatio in ipſa victimæ percuſſione, & jugulatione perficiebatur, & conſumabatur, quamvis aliquanto poſt ſequeretur interitus.

93 Quintò tandem arguitur, quòd in ea utraque actione nequeat huius ſacrificii ratio conſiſtere, ſi enim illa duplex actio conſecrationis, ſcilicet, & ſumptionis rationem integrat ſacrificii Euchariſtici, ergo duplex erit ſacrificium, primum in conſecratione, ſecundum in ſumptione, quod non eſt admittendum.

Confir. quia ſi conſecratio, & ſumptio ſunt partes ex equo hujus ſacrificii; ergo ſicut ſalvatur eius eſſentia in conſecratione antè ſumptionem, ita in ſola ſumptione ſine conſecratione invenitur eſſentia ſacrificii, & per conſequens in die Paraſceves datur ſimpliciter Miſſæ ſacrificium, quod eſt contrà ſuperiùs dicta. Denique Patres hoc ſacrificium explicant per ſolam conſecrationem, nulla facta ſumptionis mentione cuius tamen mentionem facere debuiſſent, ſi putaſſent ad eſſentiam ſacrificii ſpectare.

Reſp. quòd ſicut olim in antiquis ſacrificiis holocauſtum erat unum ſacrificium ex mactatione, & combuſtione victimæ conflatum, ita in propoſito ex utraque actione, ſcilicet, conſecrationis, & ſumptionis unum ſacrificium conſumatum, & completum perficitur, & integratur, cuius nulla alia ratio adduci poteſt, niſi quia id totum inſtitutum eſt, & ordinatum à Deo in ſui honorem, & cultum.

Ad Confirmationem Lugus, quia cenſet, ſumptionem non ad eſſentiam propriè, ſed potiùs ad integritatem huius ſacrificii pertinere, reſpondet, non eſſe partes eodem modo, nam conſecratio eſt prima, & præcipua pars, & quæ poteſt aliquo modo reperiri ſine ſecunda, quia quando eſt conſecratio, nondùm eſt ſumptio; at verò ſumptio ſemper præſupponit eſſentialiter conſecrationem jam factam, unde vult, ſumptionem nec ſimpliciter ſacrificium dici debere, nec partem eius eſſentialem, ſed potiùs conſumationem ſacrificii, eiuſque complementum, & partem potiùs integralem, quàm eſſentialem, quia ſupponit eſſentiam totam ſacrificii in parte præcedenti, ſcilicet, conſecratione, & ita etiam loquuntur ex noſtris Hiquæus, & Poncius; Alii verò abſolutè volunt ſumptionem eſſe partem huius ſacrificii eſſentialem, & non tantùm integralem, quia per ipſam præſertim deſtruitur victima hic oblata, modo jam expl. quod eſt de eſſentia, & non tantùm de integritate ſacrificii, unde in nulla ex prædictis partibus ſeorſim ab alia accepta, integra, & tota ſacrificii eſſentia ſalvari poteſt, ſicut in corpore ab anima ſeparato, aut è contrà ſalvari non poteſt hominis eſſentia, & quidditas, ſed tantùm pars eſſentiæ, juxtà quam doctrinam, quam veriorem puto, & probabiliorem, ad argumentum neganda eſt conſequentia, quia in nulla ex illis partibus ſeorſim ab alia accepta integra, & totalis eſſentia ſacrificii Euchariſtici invenitur, ſed tantùm partialis, & incompleta.

Ad ultimum dico, Patres ita per ſolam conſecrationem hoc ſacrifi-

crificium explicare, ut conſumptionem non excludant; quod autem ſæpiùs illius, quàm huius mentionem faciunt, eſt, quia actio illa admirabilior eſt,& principalior.

QUÆSTIO QUINTA.

An eſſentia ſacrificii Miſſæ utriuſque ſpeciei conſecrationem neceſſariò exigat, vel unius tantùm ſufficiat.

94 IAm in præcedenti quæſtione ſtatutum eſt,eſſentiam ſacrificii Miſſæ in conſecratione corporis, & ſanguinis Domini, etſi non adæquatè, & totaliter, principaliùs tamen conſiſtere; Ex hoc autem oritur alia difficultas,nùm ſicut in qualibet ſpecie conſecrata vera ratio ſacramenti ſalvatur, ut dictum eſt *d. 3. q. 5. ar. 1.* ita pariter in unius tantùm ſpeciei conſecratione vera quoque ratio ſacrificii ſalvari poſſit, vel utraque neceſſariò requiratur; In qua controverſia duæ ſunt opiniones. Prima affirmat, utriuſque ſpeciei conſecrationem eſſe de ratione intrinſeca, & eſſentiali ſacrificii Miſſæ, quam communiter Recentiores ſequuntur Suarez Vaſquez, Coninch. Lugus, Bernal, Caſpenſis, & alii paſſim, & nos quoque innuimus loc.cit. Secunda ſententia affirmat,in unius ſpeciei conſecratione veram ſacrificii rationem ſervari poſſe,ſicut in unaquaque ſpeciei conſecrata vera ſacramenti Euchariſtiæ ratio invenitur, ita Henriquez, Bonacina, Nugnus,& ex noſtris Aretinus,Hiquæus,Poncius,& Gavatius *diſp.cit.q.4.* ubi dicit,quòd licèt utriuſque ſpeciei conſecratio ad integritatem ſacrificii Miſſæ neceſſariò requiratur, non tamen ad eſſentiam.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæſtionis Reſolutio.

95 IN huius quæſtionis reſolutione media quadam via incedendum eſt hoc modo, quòd ſi ſacrificium ſumatur ſolùm pro reali oblatione, & immutationa rei in honorem Dei juxtà ea, quæ hactenus de ſacrificio dicta ſunt,ſic in ſingulis Euchariſtiæ ſpeciebus, & in qualibet per ſe ratio ſacrificii invenitur, & hoc ſolùm convincunt rationes ſecundæ ſententiæ, ut in earum ſolutione conſtabit;Si verò ulterius conſideretur,quod eſt ſpeciale in Euch. ſacrificio ex vi ſuæ inſtitutionis quòd nempè ſit expreſſa,& completa repræſentatio ſacrificii cruenti in paſſione Chriſti peracti, planè ſecundum hanc conſiderationem hoc ſacrificium expręſsè, & completè,non niſi in conſortio utriuſq; ſpeciei inveniri poteſt, ut re vera conuincunt rationes primę ſententię,quod totum optimè adnotavit Averſa *qu.11. ſect.5.* Concluſio quoad primam partem probatur,quia ſi ſacrificium eo modo ſumatur,in unaquaque conſecratione,tàm corporis, quàm ſanguinis, ſalvatur vera, & eſſentialis ratio ſacrificii:ergo ambę non ſunt de intrinſeca,& eſſentiali ratione ſacrificii eo modò ſumpti,probatur aſſumptum,quia ut dictum eſt ab initio præcedentis quæſtionis,ſacrificium eſt oblatio externa rei permanentis cum eiuſdem deſtructione, facta à legitimo miniſtro, ſummam Dei excellentiam, noſtramque ergà eundem ſubiectionem repræſentans, ſed ſola conſecratio ſpeciei panis eſſet oblatio externa corporis Chriſti cum eiuſdem immutatione,nam ſicut ſpecies panis diſtincta conſecratione conſecratur; ita diſtincta ſumptione ſumitur à ſpecie vini; fieret item à legitimo miniſtro,nempè à ſacerdote,& in honorem ſummæ divinę maieſtatis, ergo quoad hanc conſiderationem ſola unius ſpeciei conſecratio veram,& eſſentialem haberet ſacrificii rationem.

96 Quoad aliam partem probatur etiam, & explicatur, quia cùm Chriſtus olim per realem occiſionem, & ſeparationem corporis, & ſanguinis immolatus fuerit, nec poſſet ampliùs eo modo occidi, & immolari, quoniam ut ait Apoſtolus, *Chriſtus ſemel mortuus eſt, & reſurgens ex mortuis jam non moritur*, ideò hoc myſterium inſtituere voluit, in quo modo quodam miſtico, toties denuò mactaretur, quoties hoc myſterium exercetur; Hęc autem miſtica mactatio in ipſa ſeparatione corporis, & ſanguinis, quantum eſt ex vi verborum conſiſtit, quod planè niſi utriuſque conſecrationis virtute haberi poteſt; cùm enim Chriſtus paſſionem ſuam, & mortem per effuſionem ſanguinis perfecerit, & hoc per huiuſmodi ſacrificium exprimi debeat, id non rectè fit, niſi per utriuſque ſpeciei conſecrationem; nam per conſecrationem panis ex vi verborum ponitur corpus eius miſticè à ſanguine ſeparatum; & per conſecrationem vini ponitur ſanguis eodem modo à corpore ſeparatus, qua ratione exprimitur, quomodo verè, & realiter in Cruce fuerit ſeparatus, & per eius effuſionem Chriſtus verè, & realiter mortuus; pœnès ergo hanc conſiderationem perfecta, & eſſentialis ratio huius ſacrificii, non niſi in conſortio utriuſque ſpeciei perficitur, & adimpletur. Ex quo deducitur,quòd oblatio huius ſacrificii alio modo facta eſſet contrà inſtitutionem Chriſti Domini, quia ut conſtat Trid.ſeſſ.22.c.1 hoc ſacrificium inſtituit ſub utraque ſpecie, & ita ipſe cõſecravit pręcepit,& voluit,ut ſub utraq; ſpeciei ſacrificiũ hoc perficeretur ac eo modo incruentè eius paſſio,& mors cruenta repræſentaretur

Reſp. Adverſarii, hoc totum etiam, ſaltem implicitè, per conſecrationem unius tantùm ſpeciei exprimi poſſe, nam hoc ipſo, quòd in conſecratione tantùm uniùs ſpeciei, nominatur vel ſolùm corpus, ut diſtinctum à ſanguine, vel ſolus ſanguis, ut diſtinctus à corpore ſatis inſinatur ſeparatio corporis, & ſanguinis, & eo ipſo, quòd ponatur corpus ex vi verborum abſque ſanguine, vel è contrà, jam ſufficienter ſignificatur ſanguis effuſus, & ſeparatus fuiſſe à corpore.

97 Sed quamvis in conſecratione etiã unius ſpeciei tantũ poſſit eſſe aliqua proportio ad repræſentandam Chriſti paſſionem, etiamſi per concomitantiam eſſet ibi totus Chriſtus; non tamen adeò clara,& expreſſa repreſentatio haberi poteſt, ſicut in conſecratione utriuſque,quia poſito ſolo corp. in hoſtia ex vi verborũ non exprimeretur clarè mors illius corporis per effuſionẽ ſanguinis, potuiſſet enim morbo, vel ſuffocatione mori per defectũ intrinſecũ ſanguinis abſque eo,quòd effunderetur.Cùm igitur tota ratio hujus ſacrificii ex voluntate Chriſti pendeat ſic inſtituentis ipſemet Chriſtus voluit, & inſtituit,ut per cõſecrationem utriuſque ſpeciei clariùs & expreſſiùs realis illa corporis,& ſanguinis ſeparatio repræſentaretur,& conſequenter paſſio, & mors cruenta ejuſdẽ;eo enim ipſo, quòd in uno loco ponitur corpus ex vi verborum,non poſito ibi ſanguine, & in alio loco conſtituitur ſanguis,nõ poſito ibi corpore ex vi verborũ multò clariùs,& expreſſiùs declaratur,& exprimitur ſeparatio realis, quę facta eſt in Cruce corporis Chriſti à ſanguine ipſius; adeo quòd ratio à priori noſtrę aſſertionis quoad hanc partẽ tota deſumi debet ex Chriſti voluntate, qui talem ritum ſacrificandi inſtituit ſub utraque ſpecie ut clariùs,& expreſſiùs ejus paſſio repræſentaretur,quamvis etiam aliquo modo,& implicitè ſub una tantùm ſpecie repræſentari potuiſſet.Quo optimo exemplo Suar.*diſ.75.ſec.6.*declarat,quicquid dicat Vaſq. ex baptiſmo deducto,in quo non ſufficit dicere. *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*,quia illa verba minùs clarè, & expreſsè perſonas Trinitatis ſignificant, Chriſtus autem voluit, ut clariùs exprimerentur;ſic ergo à pari in hoc ſacrificio non poſſumus adhibere illud ſolùm ſignum,quo minùs diſtinctè mors Chriſti repræſentatur, quam ipſe voluit magis expreſsè repræſentari.

Reſp. Gavatius, hoc argumento non convinci, utriuſque ſpeciei conſecrationem eſſe partes hujus ſacrificii eſſentiales,ſed tantùm integrales,nã certè utriuſque ſpeciei cõſecratio ad integritatẽ ſacrificii Miſſæ requiritur; ſiquidem à Chriſto utraque ſpecies inſtituta utique fuit ad perfectè,& completè ſui paſſionẽ, & mortem repræſentãdam;adhuc tamen ſingulę quoque ſpecies inſtitutę fuerunt cum ſua ſignificatione ſaltem partiali;Sicut in ratione ſacramenti utraque ſpecies inſtituta fuit ad integrum convivium ſignificandum,& refectionem completam; ſingulæ tamen ſpecies inſtitutę fuerunt ad ſignificandam quoque refectionem partialẽ, & ideò adhuc validè poteſt conſecrari una ſpecies ſine altera. Addit Poncius,non ſufficienter probari neque ex Conciliis,neque ex Patribus,quòd Chriſtus abſolutè, & in omni caſu præceperit, ut conſecratio fieret illo ritu, ut tàm explicita fieret cõmemoratio paſſionis, & mortis Chriſti quàm fit conſecratione utriuſque ſpeciei,ideòque tàm facilè negari poſſe,quàm facilè à nobis aſſeritur.

98 Sed ut ab hoc ultimo incipiam, falſum omninò eſt,quòd inquit Poncius, id non ſufficienter probari nec ex Patribus, nec ex Conciliis;hoc enim probat Bernal.*diſ.22.ſec.2.*ex Patribus Gręcis & Latinis,quorum teſtimonia apud ipſum videri poſſunt;& ut alia omittam Cõcilia,id expreſsè habetur in Trid.*ſeſſ.22.cit.cap.1.*ubi dicitur Chriſtus obtuliſſe in ſacrificium corpus,& ſanguinẽ ſuum ſub ſpeciebus panis,& vini, *Ac ſub earundem rerũ ſymbolis Apoſt. eorumq in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent,præcepiſſe*,ſumitur etiã ex ipſo Evang. ubi Chriſtus de hoc ſacrificio injunxit Apoſt. *Hoc facitę in meam cõmemorationẽ*, quæ verba ad id demonſtrandum ab eodem Conc. adducuntur; hæc enim paſſio explicitè, & adæquatè per hujuſmodi cõſecrationem utriuſque ſpeciei repręſẽtatur. Et ex hujuſmodi teſtimoniis optimè deducitur,uttãque conſecrationem eſſe huius ſacrificij partes non tantùm integrales ut Gavatius dicebat,ſed etiam eſſentiales,ut Lugo deducit *diſ.19. ſec.8.n.114* neque enim eſt par ratio de Euchar. in ratione ſacrificii,& in ratione ſacramenti, ut jam diximus *diſp 3.q.5.ar. 1.* & latum patet diſcrimen inter inſtitutionem unius,& alterius,nã ſub ratione Sacr. inſtituta eſt ad modũ cibi, & potus ad animã ſumẽtis nutriendam; cibus autem licèt non ſit integrũ, & completum nutrimentum abſque potu,adhuc tamen nutrit; ſic ergo pariter Chriſti corpus, quod ſub ſpeciebus panis eſt cibus ſacramentalis, poteſt,ac debet nutritionem aliquã ſignificare, licèt non integri convivii: ut ſacrificium autem repræſentativum ſacrificii cruẽti non habet hoc,quia ut dictũ eſt; corpus ſub ſpeciebus panis ſeparationem ipſius à ſanguine non expreſsè repræſentat, quare licèt ex ipſa inſtitutione potuerit partialis ſignificatio colligi ſingularũ ſpecierũ in ratione ſacramenti,non tamen in ratione ſacrificii.

Confirm. quia ex verbis ipſius Chriſti habetur, quòd ſingulæ ſpecies ſeorſim gratiam cauſent, etenim manducanti ſolam ſpeciẽ panis gratiã promiſit,cùm dixit:*qui manducat hunc panem,vivet in æternũ*,ideòque ex verbis Chriſti meritò Eccl. colligit ſen-

ſum

ſum inſtitutionis, ut non ſolùm utrique ſpeciei, ſed ſinguli etiam ſua ſignificatio reſponderet; At verò in ratione ſacrificii nullum eſt veſtigium talis voluntatis in Chriſto, ſed contraria omninò colligitur ex modo inſtituendi, ut ex teſtimoniis adductis deducitur, quod nempè inſtituit non unam ſpeciem dumtaxat, ſed utramque ad ſignificandam expreſſiùs ſuam paſſionem,& mortem.

Ex quo infertur conſecrationem utriuſque ſpeciei ita eſſe de ratione hujus ſacrificii,ut in nullo eventu una ſpecies ſine alia cõſecrari poſſit,neque Eccleſiam poſſe in hoc diſpenſare: Ratio eſt, quia Eccleſia ſolùm circà ſacramentorum adminiſtrationem, & uſum ſtatuere, & variare poteſt, ſalva ſemper eorum ſubſtantia: atqui ſi diſpenſaret in oblatione ſacrificii ſub una tantùm ſpecie, non maneret ſalva ſubſtantia ſacrificii à Chriſto inſtituti;ergo in hoc diſpẽſare non poteſt:minor probatur ex proximè dictis,quia ad ſubſtantiã ſacrificii maximè ſpectat ſignificatio, à Chriſto autẽ non una tantùm ſpecies,ſed utraque inſtituta fuit ad expreſſiùs ſuam paſſionem ſignificandam;ergo ſi Eccleſia diſpenſaret, ut offerretur hoc ſacrificium in unica ſpecie, ſubſtãtiam ſacrificii mutaret; Cùm ergo Eccleſia non poſſit aliquod ſignum inſtituere à Chriſto non inſtitutum,conſequens eſt, ut non poſſit facere,quòd in unica ſpecie offeratur ſalva ſubſtãtia ſacrificii. Sed hoc totum jam ex profeſſo probatum eſt *l.c. diſp.3.q.5.ar.1.n.121, & 123.* ubi etiã ſoluta ſunt,quæ in contrariũ obiici ſolent,& oſtenſum eſt eſſe mente Doct. 4. *diſt, 8. q. 3.* ubi docet integritatem conſecrationis ſub utraque ſpecie eſſe juris divini, & Eccleſiaſtici.

Hic tamen prætereundum non eſt, quod ibi addit Hiquæus ad conciliãdas oppoſitas ſententias in hoc puncto tale temperamẽtum adhiberi poſſe, ut conſecratio utriuſque ſpeciei ſit de præcepto divino,& ordinaria lege, quando poteſt utraque materia adhiberi, quando autẽ nequit haberi, prævaleat neceſſitas ſacrificii in aliquo populo,aut natione huic pręcepto cõſecrationis utriuſque ut poſſit haberi uſus ſacramenti, qui præponderat præcepto de conſecratione integra. Quod probat exemplo ex aliis ſacramentis deducto,confeſſio namque verbalis eſt de eſſentia ſacramẽti Pęnitentiæ,ut definit Trident. & confeſſionis etiam integritas, ut patet *ſeſſ.14.c.5.* hoc tamẽ de lege ordinaria; in caſu autem quo quis eſſet mutus,aut ex infirmitate amitteret uſum linguæ, non currit obligatio confeſſionis verbalis, ſed ſufficit confeſſio per ſigna,& nutus;ſufficit etiam confeſſio aliquorum peccatorũ,quando timetur mors præſens, & non ſuper fore tempus integræ confeſſionis:ſic ergo in propoſito ait explicandum hoc divinum pręceptum de conſecratione ſub utraque ſpecie, hoc enim videtur magis conforme ſuavi diſpoſitioni,& providentię Salvatoris,quia hoc modo proviſum eſt univerſaliter toti Eccleſiæ;cui modo dicendi ſubſcribit etiam Ponc.quoad veritatem ſpeculativam hujus caſus, nam oppoſitum aſſerere eſſet privare magnam partem Eccleſię hoc principaliſſimo myſterio propter impoſſibilitatem habendi alteram ſpeciem in quibuſdam regionibus.

100 Sed planè hoc eſt trepidare timore,ubi non eſt timor, quia certè in tot ſæculis ejuſmodi neceſſitas adhuc non occurrit,& credibile eſt nunquam futuram, quia ut refert Card. de Lugo in remotiſſimis Indię regionibus,in quibus vini penuria eſt,imo in aliquibus etiã tritici,ut in Inſul. Philippinis,ubi triticũ non generatur,experientia docet aſportatione nõ ſolũ ad ſacrificiũ, ſed etiã ad potum communem abundè ſuppleri. Undè falſum eſſe omninò convincitur, quod aliqui ex Volaterraneo referunt, olim cum Norvergis diſpenſatum fuiſſe,ut in ſola ſpecie panis conſecrarent ob vini penuriam; cùm etiam experientia conſtet apud illos vinũ ad ſacrificium, & ad potum nõ deeſſe, & ipſa hiſtoria ex hoc ſolo ſuam prodit falſitatem, quod ait cõceſſum illis fuiſſe, *ut calicẽ ſine vino conſecrarent*,quod abſque manifeſto errore concedi non poteſt,quod totum jam notavimus *diſ.3.cit,q.5.ar.1.* & planè illa inconvenientia,& detrimenta, quæ ſequerentur,ſi non poſſet in illa neceſſitate diſpenſari, prævidit optimè Chriſtus, & nihilominus hoc ſacrificium inſtituit ſub utraque ſpecie abſolutè loquendo, & cum determinatione conſecrationis utriuſque nihil ſuper hoc arbitrio Eccleſiæ relinquens;Ex quo patet exemplum de materia confeſſionis ſacramentalis adductum ad rem non eſſe, ſed potiùs ad oppoſitum,quia ut ſuprà dictum eſt in hac *diſp.36.& 45.* Chriſtus externam peccatorum confeſſionem inſtituit determinatè materiam pęnitentię;nùm autem hæc facienda ſit verbo,vel ſcripto, aut aliis ſignis ſenſibilibus, non determinavit, ſed Eccleſiæ determinandum reliquit juxta caſuum diverſitatem;at in propoſito abſolutè, & determinatè hoc ſacrificium inſtituit ſub utraque ſpecie, & cum neceſſitate conſecrationis utriuſque nihil Eccleſiæ relinquens determinandum in hoc myſterio; non igitur à communi ſententia recedendum eſt, quod nequeat Eccleſia diſpenſare in conſecratione utriuſque ſpeciei, hoc enim modo determinatè à Chriſto Domino ſacrificium hoc inſtitutum eſt, & Eccleſia nihil poteſt circà ſubſtantiam ſacramentorum, & ſacrificii à Chriſto inſtituti, *loc.cit.* dictum eſt *diſp 3.q.5.art. 1.*

101 Quæres, an ſicut hæc neceſſitas, & obligatio conſecrandi ſub utraque ſpecie eſt de jure divino,& inſtitutione ipſa Chriſti, idem pariter ſit dicẽdum de ſumptione utriuſq; ſpeciei in Sacerdote ſacrificante; & ratio dubitandi eſt, quia de facto Sacerdotes cum Epiſcopo concelebrantes non communicant de Calice. Communiter tamen affirmativè reſpondent,quod ad totale,& abſolutum complementum huius ſacrificii ſpectat, ut in utraq; ſpecie conſumetur, & ſic Chriſtus illud inſtituit, unde neque in hoc Eccleſia diſpenſare poteſt, ut advertit Averſa *loc.cit.* Quandò autem plures concelebrant cum Epiſcopo, ſatis eſt, ut unus ex illis totum perficiat ſacrificium.

ARTICULUS SECUNDUS.

Adverſantibus occurritur.

102 IN oppoſitum obiiciunt Auctores ſecundæ ſententiæ, & præſertim ex noſtris Gavatius *loc.cit.diſp.1.q.4.cap.1.* Primò quia in unaquaq; conſecratione tàm corporis,quàm ſanguinis ſalvatur vera,& eſſentialis ratio ſacrificij,quia de ſingulis verificatur,quod ſit oblatio externa alicuius rei permanẽtis cum eiuſdem deſtructione, facta à legitimo Miniſtro, ſummam Dei excellentiam,noſtramque erga eundem ſubiectionem repræſentans,quæ eſt definitio ſacrificii propriè dicti ſuperius allata, ergo ambæ non ſunt de intrinſeca,& eſſentiali ratione ſacrificii Miſſæ,conſequentia patet, quia enim ratio eſſentialis ſacramenti in qualibet ſpecie conſecrata reperitur, inde omnès concludunt ambas ſpecies non eſſe partes eſſentiales ſacramenti Euch. ſed integrales tantùm;quæ enim ut partes eſſentiales concurrunt ad unum totum eſſentiale conſtituendum, neutrum ſeparatim acceptum fundare poteſt rationem illius, cuius eſt pars, & eius prædicationem in recto ſuſcipere, ut patet de corpore, & anima reſpectu hominis, quem eſſentialiter conſtituunt. Confirm. quia conſecratio corporis non dependet à conſecratione ſanguinis, nec è contrà, igitur poteſt una abſque alia validè fieri,ac etiam licitè cum diſpenſatione,& ſicut poteſt ratio ſacramenti in unica ſpecie conſecrata ſalvari; ita & ratio ſacrificii in unius ſpeciei conſecratione; probatur aſſumptum, quia per primam conſecrationem aliquid ſactum fieret, & Deo dicatum,quod factum maneret,etiamſi ſecunda non ſequeretur; ergo illa adhuc in tali caſu haberet veram, & eſſentialem rationem ſacrificii non minus, ac ſpecies conſecrata ſacramenti.

103 Reſp. argumentum convincere tantùm, primam aſſertionis poſitæ partem, quod ſi ſacrificium ſumatur ſolùm pro reali oblatione, & immutatione rei in honorem Dei, ſic in ſingulis ſpeciebus Euchariſtiæ, & in qualibet per ſe ratio ſacrificii invenitur; at ſi ulterius conſideretur,quod eſt ſpeciale in ſacrificio Euchariſtiæ ex vi ſuæ inſtitutionis,quod nimirum ſit expreſſa,& completa repræſentatio ſacrificii cruenti in Cruce peracti, ſive miſtica quædam mactatio, & corporis à ſanguine ſeparatio, planè in hoc ſenſu negatur aſſumptum, non enim ita clarè, & completè paſſio Chriſti repræſentatur in conſecratione unius dumtaxat ſpeciei,ſicut in utraque, ut ſatis conſtat ex dictis.

Ad Confir. verum eſt aſſumptum loquendo de Euchariſtia in ratione ſacramenti, non autem ſacrificii,ut dictum eſt *diſp.3.q.5. art.1.* ſiquidem latum patet diſcrimen inter inſtitutionem unius, & alterius,ut paulò ſuprà dicebamus *n.98.* ad probationem aſſumpti dico parum referre, quod per primam cõſecrationem aliquod factum fiat,quod factum maneret,etiamſi ſecunda non ſequeretur inde enim ſolùm ſit in illa conſecratione eſſe inchoatum ſacrificium,non verò eſſentialiter perfectum,ut notat Suarez *d.75.ſect.6* ſicut etiam jacto fundamento, & erecto pariete aliquid manet factum ædificii, quamvis ædificatio ulterius non progrediatur, nemo tamen dicet eſſe domum eſſentialiter perfectam,ſed inchoatã & in aliis ſacrificiis idem eſt,nam ſi animal,quod interfici,& comburi præcipitur,ut in ſacrificium offeratur, prius interficiatur, & poſteà non comburatur; re vera interfectum manet, non tamen propterea ibi ſit ſacrificium eſſentialiter perfectum, ſed inchoatum tantùm; & tandem idem fuiſſet in ſacrificio cruento Chriſti ſi poſt flagella,& clavorũ etiã infixionem,mors non fuiſſet ſecuta.

104 Secundò arguunt; ratio ſacrificii huius incruenti conſiſtit eſſentialiter in conſecratione, qua miſticè, & ſacramentaliter repræſentatur ſacrificium cruentum mortis Chriſti, quæ eſſentialiter ſita eſt in ſeparatione animæ à corpore, ſed in ſola conſecratione unius ſpeciei ſufficienter ſit talis repræſentatio,quia per ſolam conſecrationem panis ex vi verborum ponitur corpus ſine anima, & per ſolam conſecrationem vini conſtituitur ſanguis ſine anima & per ſolam conſecrationem panis, aut vini repræſentatur etiam ſeparatio ſanguinis à corpore; ergo per quamlibet harum ſpecierum ſit mactatio miſtica Chriſti, in qua huius ſacrificii eſſentia conſiſtit. Confirm quia ſi aliqua ratione conſecratio utriuſque ſpeciei ad rationem ſacrificii incruenti eſſentialiter pertinet, maximè ut repræſentaret ſacrificium Chriſti cruentum, ut in allata reſponſione dictum eſt; atqui ſacrificium Chriſti cruentum non fuit poſitum in ſeparatione ſanguinis, ſed animæ à corpore, quæ ſufficienter repræſentatur per conſecrationem ſolius corporis ſiquidem ex vi verborum conſtituitur ſolum corpus exſangue, & ſine anima ſub ſpeciebus panis; quamvis ratione concomitantiæ

cum